











Viro Cl[illegible]. Th. G. v. Lidth de Jeude
a. m.

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM,

DE

GUSTAVO I, RERUM SACRARUM IN SUECIA, SAEC. XVI, INSTAURATORE.

SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

DE

GUSTAVO I, RERUM SACRARUM IN SUECIA, SAEC. XVI, INSTAURATORE,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI ACKERSDYCK,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

RUDOLPHUS CORNELIUS HENRICUS RÖMER,

EX URBE *OUDEWATER*.


A. D. XII M. JUNII, A. MDCCCXL, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. PADDENBURGII & SOC.

MDCCCXL.



OPTIMI PATRIS PIAE MEMORIAE

NEC NON

MATRI CARISSIMAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

Quid me induxerit ut in conscribendo specimine de Gustavo I agerem, rerum sacrarum in Suecia saec. XVI instauratore, paucis exponendum videtur. Ut enim alia hoc suadebant, ita maxime argumenti gravitas. His enim nostris diebus requiritur non tantum in historico, ut ipsos adeat fontes et acute dijudicet, quid verum sit in iis, quae inde hauserit, quid minus probandum videatur, verum etiam, ut rite ea ordinet comtaque oratione explicet. Quae quantopere vires juveniles superent, monere vix opus est, quoniam neminem fugiunt, qui in recentiorum historicorum scriptis non plane hospes versatur. Mihi saltem tam gravia eadem exstiterunt, ut consilium, ex Historiae Literarumque Recentiorum amore profectum, mutare plus semel in animum induxerim. Ex aliis vero porro in alia incidenti, nec invenienti tamen argumentum, quod suavitate se magis commendaret, quam illud, quo versandum mihi foret in contemplando Reformationis aevo, inque attendenda viri suae aetatis celeberrimi vita, quid valerent humeri, quid ferre recusarent, tentandum videbatur. Quo quidem propo-

sito mox ad Praeceptores delato, hi, quibus pugnandum foret difficultates minime quidem dissimularunt; sed vel sic tamen ut consilium meum perficerem, me adhortabantur, spem simul facientes, fore ut ipsorum mihi haud deesset auxilium. Nec fortasse tamen arduum incepissem opus, nisi praeterea persuasissimum mihi fuisset, aequos rerum judices, quotquot hanc scriptionem deinceps legerent, ea fore humanitate, ut, si argumentum gravissimum haud rite attigisse ipsis viderer, juvenilibus hoc viribus tribuerent.

Postquam autem mihi constitit de argumento eligendo, dubius adhucdum haerebam, quanam ratione optime illud tractaretur. Duplex enim se mihi obtulit tractandi ratio. Quarum altera haec erat, ut, Sueciae conditione ecclesiastica primum data opera adumbrata, Gustavi porro institutionem, ejusdemque Eccl. emendandae conamina exponerem ac denique ejus Reformationem dijudicarem. Magis tamen placuit altera eaque a priore illa, aliquatenus saltem, diversa ratio, qua, conditione Succiae politica et ecclesiastica breviter explicatis, Gustavi deinceps vitam enarrarem, quatenus haec cognoscenda videbatur, ut quot quantaque ipsius in emendanda Ecclesia fuerint merita, rite perspiceretur. Quae vero de Ecclesiae Suecicae conditione misera monenda videbantur, hic illic ita rebus a Gustavo gestis inserui, ut hae exinde magis explicari et rectius dijudicari possent.

Haec de ratione dicta sint. Monendum superest de fontibus, deque subsidiis, quibus in conscribendo hoc specimine usus sum. Ac quidem, etsi ipsos fontes scil. Pont. Romanorum bullas, Principum atque Clerico-

rum decreta, epistolas, al. ubivis libenter adiissem, eos inspiciendi saepius mihi copia defuit. Quapropter ex iis historicis subinde hausi, qui vel ipsa monumenta antiquioris aevi vel eorum sententias in scripta receperunt. Quorum praecipuos recensere juvat:

Olaus M., *Hist. de gentium Septentrionalium variis conditionibus statibusve et de morum, rituum, superstitionum, exercitiorum, regiminis, disciplinae, victusque mirabili diversitate, item de bellis etc. Basil. 1567.*

A. Hvitfeld, *Danmarckis Rigis Krönicke. Hafniae 1652. 2 Tom.*

D. Gerdesii, *Hist. Reform. s. Annales Evangel. saec. XVI passim per Europam renovati. Groningae et Bremae 1749. 4 Tom.*

J. G. Hallman, *The twenne Bröder och Nerikeboer, som then Evangeliska Läran införde uti Nordlanden - til Lefwerne och Wandel. Holmiae 1726.*

Olof Celsius, *Konung Gustaf I Historia efter gamla och ostridiga Handlingar sammanskrefwen. Ed. sec. Holmiae 1797 - 98. 2 Tom. Hujus vero opusculi exstat versio germanica: Geschichte König Gustavs I. etc. Hafniae et Lipsiae 1753. 2 Tom.*

O. v. Dalin, *Svea Rikes Historia. Holmiae 1747-1762. 4 Tom.*

Sv. Lagerbring, *Swea Rikes Historia. Holmiae 1769 - 1783. Tom. 4.*

A. Botin, *Beskrifning om Swenska Hemman och Jorda-gods. Holmiae 1798 - 99. 2 Tom.*

F. Rühs, *Gesch. Schwedens. Halle 1805. 5 Tom.*

J. J. Thomaeus, *Christna Kyrkans Historia uti*

Sverige ifrån de äldsta, till närwarande tider. Oerebroae 1817.

A. M. Strinnholm, *Svenska Folkets Hist. under Konungarne af Wasa-Atten, Holm. 1819 - 1823. 3 Tom.*

D. G. v. Ekendahl, *Geschichte des Schwed. Volks u. Reichs. Weimar 1827 - 28. Tom. I et II. P. I.*

Sven Baelter, *Historiska Anmärkningar om Kyrkoceremonierna. 3ª. ed. Oerebroae 1838.*

A. Frijxell, *Berättelser ur Swenska Historien. Tredje delen, inhållande Lutterska Tiden. Ed. 3a, Holmiae 1835, cujus partem priorem germanice vertit* Ekendahl *sub titulo: Leben und Thaten Gustavs I Wasa, etc. Neustadt a/O. 1831.*

E. G. Geijer, *Svenska Folkets Hist. Oerebr. 1834. 2 Tom, cujus operis exstat versio germanica in: Geschichte der Europäischen Staaten von* Heeren *und* Ukert, *quam debemus* Swen P. Leffler.

Nonnullorum horum fontium inspiciendorum opportunitatem mihi praebuerunt V. V. C. C. Holtius *et* Ackersdijck, *quibus palam gratias agere animus me jubet. Plurima tamen fortasse colligere potuissem, nisi per Viri nobilissimi* J. A. Taets v. Amerongen *benevolentiam ad munus antistitis in pagis* Deil *et* Enspijk *vocatus fuissem, quo factum est non tantam me curam huic scriptiunculae impendere potuisse, quantam argumenti gravitas exposcere videretur.*

Ut autem gravissimum fuit hoc argumentum, ita summopere auxilium suum praestitit Vir Clar. H. J. Royaards. *Qui quum de ratione me admonuerit, qua optime argumentum tractarem, ipsosque etiam fon-*

tes indicaverit unde peterem, mihique in rebus rite dijudicandis doctrinae suae copia haud defuerit, plurima me ipsi in conscribendo hoc opusculo debere, hic pronuntiare non dubito. Verum ut grato animo, Vir Clarissime, Tuum auxilium agnosco, ita simul gratias Tibi agere maximas ob omnia, quae in me contulisti, beneficia non mos unice sed animus inprimis jubet. Tu enim una cum Collegis Clar. Praeceptoribus optimis Bouman *et* Vinke, *studiis meis optime favisti. In Theologorum enim scholas me receptum, Vos, Viri Clarissimi, facem mihi ad Theologiae cognitionem praetulistis; Vos tanta me excepistis cum benevolentia tum humanitate, ut quid Vobis debeam dictu difficile sit. Jam vero Academiae valedicturus, Vos, Viri Clarissimi, rogo atque obsecro, ut, quem Academiae civem tanta prosecuti estis benevolentia, hunc etiam in posterum eadem humanitate beare velitis. Nefas tamen duco hac opportunitate nomen reticere Viri celeberrimi, cujus in me summa merita tot tantaque fuerunt, ut quid ipsi debeam nullus unquam dies memoria eximet.* Heringae *enim merita quanta in discipulos fuerint, ut omnes norunt, ita grato animo variis opportunitatibus agnoverunt discipuli. Cujus Viri memoria ut omnibus qui eum cognoverunt ab ejusque ore pendere solebant, ita mihi etiam pia semper manebit.*

Ut vero dulce mihi fuit atque jucundum palam profiteri quid Praeceptoribus optimis debuerim, ita lubens etiam hanc opportunitatem arripio, ut et Tibi, Vir Consultissime Römer, *Patrue Carissime, gratum animum testificer. A quo enim inde tempore puer ad-*

huc optimo patre orbatus fui, ita consiliis Tuis Matri Carissimae adfuisti, ut si valuerit quodammodo institutio, qua, cum alibi tum praesertim in hac urbe gavisus sum, ad me talem fingendum, qui aliquando haud indigna ratione gravissimo antistitis munere fungerer, hoc Tuis monitis receptum referre nullus dubitem. Postea vero in Civium Academicorum numerum receptum, Tu, eodem quo antea, quin imo majore benevolentia me prosecutus es. Viam Tu mihi indicasti, qua procederem ut studia mea e voto mihi cederent. Juvenem me haesitantem incitasti, Tuaque domus mihi quotidie patuit, inque ea ita receptus sum, ut socius ejus esse mihi viderer. Pro his igitur summis in me collatis beneficiis Tibi Tuisque palam gratias ago habeoque. Nunquam ex memoria temporis illius excidet recordatio, quod Rheno-Trajecti degi, Teque rogatum velim, ut mihi in posterum eundem praebeas amorem, quo me ad hunc usque diem prosecutus es, illudque omnibus viribus enitar, ut dubium sit, utrum major sit Tua erga me benevolentia, an mea erga Te pietas.

Quo tandem modo Tui, Vir plurimum Venerande W. L. v. Oosterzee, *hic mentionem non facerem? Ut enim vitae peractae magnam felicitatis partem aliis debui, ita si futurae vitae quaedam erit felicitas, hanc magna ex parte Tibi receptam referam. In Tua enim familia ita me recepisti, ut dubius haererem utrum magis admirarer summam Tui erga me benevolentiam, an vero studium illud Tuum, quo me per omne illud tempus, per quod Te cognovi, prosecutus es, quoque et mihi et studiis meis favere haud*

desiisti. Nolo hic recentem renovare dolorem, quo domus Tua perculsa jacet. Sit Tibi solatio optima, quam profitemur, religio. Nos vero qui superstites sumus ea Te prosequemur caritate, ut leniatur quodammodo animi dolor ille Tuus. Faxit vero Deus, ut, quos Tu paterno amore amplexus sis, hi Te patrem ament diligantque.

Tandem Vos mihi compellandi estis, Optimi Sodales, qui meorum studiorum participes fuistis. In his prae reliquis Tu mihi memorandus es, Frater Optime, quocum non sanguinis tantum verum etiam arctissimo amicitiae vinculo conjunctus fui. Utinam nunquam rumpatur inter nos dulcissimum illud vinculum, quo natura ipsa nos conjunxit primum, quodque auxerunt postea studia atque commercium. Vos etiam valeatis quibuscum in sodalitio literario per plurimos annos studiis operam navavi. Vos omnes summa utamini felicitate, illudque a vobis precor, ut eadem amicitia in posterum etiam me prosequi haud dedignemini.

CONSPECTUS.



PROOEMIUM.

CAPUT I.

GUSTAVI, RERUM SACRARUM IN SUECIA INSTAURATORIS, INSTITUTIO.

EPILOGUS.



PROOEMIUM.



Diversa Reformationis, saec. XVI, in variis regionibus ratio magnam partem explicanda est, cum e gentium, ad quas pervenit, diversitate; tum vero etiam e virorum, qui ejus auctores exstiterunt et duces, indole conditioneve diversa. In aliis enim regionibus Theologi eam excitabant, annuentibus vel et negantibus Principibus Regibusque; in aliis hi ipsi Reformationem curare instituerunt. Unde factum est, quod, pro varia illa, sive Theologorum, sive Principum in ea vi, alia exstiterit ipsius in variis regnis conditio. Quae observatio cum egregie valeat ad explicandum Reformationis in Germania et Suecia discrimen, perlustranti mihi illam historiae partem, quae Ecclesiae Suecicae spectat instaurationem, a Gustavo I potissimum institutam, facile patuit, me viri celeberrimi vitam non rite expositurum esse, neque ejus merita dijudicaturum, nisi antea adumbrassem nonnulla, quae ad illustrandam Sueciae, hoc tempore, conditionem, cum *politicam*, tum *ecclesiasticam*, valent. Quapropter de his pauca praemonenda censui.

Politicam igitur Sueciae conditionem si advertamus, *Scandinavia*, s. *Scandia* (1), antiquis scriptoribus Graecis et Romanis vix cognita (2), varias antiquitus exceperat gentes, partim Finnos atque Lappones, partim Germanos, in quibus Gothi et Sueones. Finnicae stirpes Norvegiam incolebant et maximam Sueciae partem; meridionalem vero Sueciam, item et Daniam, Germanicae tribus. Partem enim Sueciae australem Gothi habitabant. Quae divisa erat regio in *Ostro-gothiam*, una cum *Smålandiae* parte orientali, *Oelandia*, quibus adjungebantur *Gothlandia*, *Scandia* (Skåne) *Blekingia*, et *Westro-gothiam*, una cum *Smålandiae* parte occidentali, *Dalia* s, *Markia*, *Wärmelandia*, quibus annumerabatur *Hallandia*. *Suecia* proprie sic dicta, a parte australi, sylvis Kolmård et Tiwed a Gothia separabatur. In varias distributa erat provincias: *Uplandiam*, *Södermanlandiam*, *Nericiam*, *Westmanlandiam*, *Dalecarliam*; quibus adjungendae *Gestricia* et *Helsingia*. Sinum Bothnicum transvectis *Finlandia* occurrit. Hujus autem divisionem in *Finlandiam septentrionalem* et *meridionalem* indicare, vix operae

---

(1) De nominis origine ita Johannes M.: (Olaus M. *Hist. de gentium sept. variis conditionibus* etc. Lib. I. c. 2.) *Scandia*, inquit, *sive Scandinavia*, *juxta nominis interpretationem*, *amoena sive pulchra insula*. Aliam nominis originem indicant v. Dalin (*Swea Rikes Historia*, T. I, c. 3, § 6.) et Lagerbring (*Swea Rikes Hist.* T. I, c. 7, § 21.), illam derivantes ab antiqua voce *Skane*, quae *naviculum* olim significavit.

(2) Horum de Scandinavia notitia est apud D. C. v. Ekendahl, *Geschichte des Schwed. Volks u. Reichs*, T. I, p. XXIV.

pretium videtur (1). Gentes vero istae, antiquissimis temporibus, nondum in unum populum coaluerant. Contra vero, patriarchalem vivendi rationem aliquatenus referentes, singulae tribus suis subditae vivebant principibus. Etsi autem prae caeteris auctoritate valerent reges Upsalienses, ita tamen horum auctoritas ab iis non semper agnoscebatur (2), donec tandem, qui *Yngueorum* (3) familiae successerant, reges, sen-

(1) Johannes M. l. c. – *Descriptio nova Sueciae, Gothiae, magnique ducatus Finlandiae* etc. Amst. 1656. p. 1–50. Lagerbring, l. c. v. Geijer, *Sv. Folkets Hist.* T. I, c. 2.

(2) Horum nonnullos *Häradskonungar*, *Fÿlkiskonungar*, *Småkonungar* dictos, recenset Lagerbring, l. c. c. 8.

(3) Ut deinceps gubernatorum Suecicorum nuda nomina ponere liceat, ordinem, quo sibimet invicem successerunt, hic indicandum esse duxi. Qua tamen in re ab *Odino* incipiam, quandoquidem, quae de regibus, e stirpe *Forniotherica* oriundis, traduntur, mythorum potius, quam historiae, speciem prae se ferunt.

I.

Odin ejusque posteri.
(*Yngueorum familia*).

Odin.
Niorder.
Yngue Frey.
Freya.
Fjöln.
Swedger.
Wanlander.
Wisbur.
Domalder.
Domar.
Dygwe.
Dager.
Agne.
Alrik et Erik.
Alf et Yngue.
Hugleik.
Jorunder.
Ane s. Aune.
Eigil.
Ottar.
Adil s. Attil.
Eisten.
Yngwar.
Anund.
Ingiald.

II.

Iwar et Sigurd illorumque posteri.

Iwar Widfamme.
Harald Hildetand.
Sigurd Ring.

sim paulatimque, summo in caeteros potiti sunt imperio. Nec tamen ita hoc intelligendum est, ac si pro libitu reges subditos gubernarent; imo ea erat populi vis, ut, quid agendum esset, ipse decerneret (1).

Eisten Beli et Ragnar Lodbrok.
Björn Järnsida.
Erik et Refil.
Erik Refilson.
Emund et Björn (829).
Erik Emundson († 883 s. 885).
Björn († 933 s. 935).
Erik Segersäl et Olof.
Olof Skötkonung († 1024).
Anund Jacob († 1051 s. 1052).
Emund.

III.

Stenkil ejusque posteri.

Stenkil († 1066).
Halstan et Inge Stenkilson.
Philip († 1118) et Inge II.

IV.

Swerker et Erik, horumque posteri.

Swerker († 1155).
Erik Jedwarson († 1160).
Carl Swerkerson († 1167 s. 1168).
Knut Erikson († 1195 s. 1199).
Swerker Carlson († 1210).
Erik Knutson († 1216).
Johan Swerkerson († 1222).
Erik Erikson († 1250).

V.

Folkungorum familia.

Waldemar (regno priv. 1279).
Magnus Ladulås († 1290).
Birger Manson (regno priv. 1318).
Magnus Erikson (regno priv. 1361) et Håkan.

VI.

Reges, qui ad Gustavi usque tempora regno praefuere.

Albertus e Meclenburgia (regno priv. 1388).
Margaretha († 1412).
Ericus Pomeranus (regno priv. 1435).
Christophorus Bavariensis († 1448).
Carl Knutson († 1470).
Christianus I (regno priv. 1464).
Johan II (regno priv. 1501).
Christianus II (regno pr. 1521).

Caeterum gubernatores nos omisisse, quos Sueci, regum extraneorum imperium moleste ferentes, subinde elegerunt, ex eo explicatum velim, quod de his, quantum ad rem nostram illustrandam valeat illorum historia, deinceps agam.

(1) Sti Anscharii *vita per* S. Rimbertum *scripta* c. XXIII. Ita enim hic legimus: *sic quippe apud eos moris est, ut quodcunque negotium publicum magis in populi unanima voluntate, quam in regia consistat potestate.*

Etenim, sacrificiorum annuorum opportunitate, Sueci undique Upsaliam confluere solebant, ibique sub dio sententiam de rebus, quae patriae salutem spectabant, proferebant. Aderat rex, aderant singularum provinciarum gubernatores et judices, nec nisi servis aditus ad hos conventus praecludebatur. Rex cunctis negotia, de quibus erat agendum, proposuit. Judices autem provinciales (*Lagmän*), tribunorum plebis ad instar, rusticorum (*Odalbönderne*) sententiam effari solebant et propugnare; quin imo ipse populus, armorum subinde sono, indicavit, se regis sententiae sive assentiri, sive eam rejicere. Ut vero ex his apparet, populi vim in rebus publicis satis fuisse magnam, tamen regibus, antiquissimis hisce temporibus, nonnulla saltem cessisse prae subditis jura et privilegia, negandum non est. Historicis enim nititur argumentis, regnante *Frey*, nonnullas ipsis concessas fuisse terras (*Upsala - Öde*), de quibus, etsi nos lateat, quales fuerint, hoc tamen constat, idoneos illas regibus suppeditasse reditus. Utrum vero jam id temporis ipsis cesserit jus, quo et subditorum, haeredibus destitutorum, et extraneorum, in Suecia defunctorum, bona haereditate acciperent (*Dana - arf*), non patet. Quod dicendum etiam est de jure, quo, quidquid undae in litora conjicerent (*Wagrec*), vel quidquid in viis, litoribus et maris fundo reperiretur (*Wågfynd*, *Strandfynd*, *Botnfynd*), regi cedebat. Verum, etsi dubitent historici, utrum horum jurium origo ad remotissima tempora referenda sit, dubio tamen vacat, brevi post haec inter regia jura recensita fuisse. Alia autem jura remotis hisce temporibus originem suam debere, inter

historicos convenit. Quorsum illud referimus jus, quo nonnullorum delictorum mulctae regi erant solvendae, nec minus illud, quo, varia opportunitate (1), ipsis licebat, tributa a subditis exigere. Caeterum penes reges fuisse jurisdictionem verosimile est. Leges vero his temporibus nec scriptae, nec in singulis provinciis eaedem fuisse, videntur, quod unde factum sit explicatu est facillimum.

Gentes autem hae profitebantur *religionem ethnicam*, Odinismum, qui, ex Oriente advena, Thorrii religionem exceperat, eamque in altiora Scandinaviae loca fugaverat, licet praeter Odinum, ipsum Thorrium in Deorum numerum referret. Etenim, praeter supremum quoddam numen (*Alfadur*), quod *Patrem universi* habebat, plures admisit Deos Deasque (*Aesir*). Qua cum doctrina arctissime cohaerebant, quae ab ipso propagabantur de vita, post mortem futura, notiones, ut facile apparet ex iis, quae in mythis antiquis narrantur de piorum et impiorum in *Walhalla* et *Narstrond* sorte. Haec autem Ethnicismi forma, etsi utilis videri possit ad delicta nonnulla reprimenda, non tamen illam habere poterat vim, ut Suecorum

---

(1) Pertinent huc: *Ledungslama*, *Weitslo* et *Skjutsning*. Quod ad *primum* attinet, exigi illud solebat, quando hac illave de causa expeditiones militares, quibus interesse cuncti debuere, haud suscipiebantur. *Weitslo* tributum erat, quod reges, ditionem suam perlustrantes, a subditis exigebant. *Skjutsning* popularibus imposuit equos suppeditare et aulicis et quibuscunque legatis regiis. Quodsi vero rex, iter faciens, suis uteretur equis, alimenta his a subditis subministranda erant. Lagerbring, l. c. c. 9. Rühs, *Geschichte Schwedens*, T. I, L. I, § 6.

universe mores emendaret. Etenim Dii, quos colebant, humana ratione cogitabant, sentiebant, agebant. Prae caeteris virtutibus et hi fortitudine conspicui erant, illamque tam magni faciebant, ut non nisi heroës in salutis societatem reciperent, dum meticulosi in arce, serpentibus tecta, retinerentur. Imo vero aliquando, ubi, post multorum saeculorum intervallum, nova foret terrae nostrae species, felices ipsius incolae in eo versarentur, ut sibi invicem Deorum pugnas narrarent, illorumque fortitudinem laudibus extollerent. Quae cum ita sint, Odinismus fortitudinem heroicam potius aluisse, quam moralem exercuisse vim, dicendus est. Etenim ea est natura humana, ut ad Deorum, quos colit, exemplum se informare studeat, et e notionibus, quas de vita post mortem futura habet, hanc vitam instituat. Ut enim futurae salutis, e sanctitate oriundae, spes, ad nos incitandos, qui sancte vivamus, egregie valet, ita opiniones de vita ista falsae, non possunt non in vita nostra vim habere perversam. Hinc factum est, quod, cum Suecorum, his temporibus, ejusmodi essent de vita futura notiones, ut vitae terrestris rationem prorsus haec referret, plerumque vitam viverent pravam. Etenim quum in eo ipsius delicias fore suspicarentur, ut continuas pugnas exciperent convivia opipara, quumque fortitudo una esset ad regiones beatas via, mirum sane non accidit, bellum illos pugnasque adamasse, monomachia lites suas diremisse, homicidia ipsis inconsueta non fuisse, imo vero in causis nonnullis licita, morti pacificae suicidium ipsos praetulisse et sanguinis vindictam, haereditatis instar, a parentibus ad posteros transiisse. Alia

artem, quae inter Scandinaviae incolas viguerunt, vitia, polygamiam, concubinatum, intemperantiam, al. cum iisdem, de Diis deque vita futura, notionibus arctissime fuisse conjuncta, quis est, qui non videat? (1)

Quodsi vero teneamus, Suecos, antiquissimis hisce temporibus, bellicosissimos, vitam duxisse nomadicam, illosque, domum reversos, venando et piscando, victum sibi quaesivisse quotidianum, mirum non est, *studia humanitatis* apud illos haud viguisse. Etenim si excipiamus poësin et literis runicis scribendi artem (2), quibus nonnulli tantummodo valebant, nihil impedit, quominus gentem Suecicam incultam dicamus illis temporibus, quae Religionis Christianae apud illam propagationem proxime antecesserunt.

Alia autem hujus gentis exstitit conditio, postquam *Religionis Christianae lux* his regionibus affulserat et Ethnicismum septentrionalem, s. Odinismum, fugaverat, a quo inde tempore magna fuit Religionis hujus in mutanda Suecorum conditione vis.

Religio Christiana altius continuo in Europam adscenderat. Penetraverat illa e Francorum imperio in Germaniam superiorem; quamque Carolus M. jam sibi proposuerat propagationem per Europam Septentrio-

(1) De iis, quae diximus, vidd. Lagerbring, l. c. c. 13, 14, 15 passim. - v. Dalin, l. c. c. 5. - v. Ekendahl, l. c. L. I, c. 2 et 7.

(2) De hac scribendi arte cff. v. Dalin, l. c. c. 8, § 3. - v. Ekendahl, l. c. Prol. c. IV. - Münter, *Kirchengeschichte von Dänemark u. Norw.* T. I. p. 199.

nalem, hanc promoverunt successores per Albingiam septentrionalem; et sic quidem, regnante Ludovico Pio, Religio Christiana in Daniam pervenit et Sueciam. Teste enim Rimberto, Anscharii vitam scribente (1), Sueonum legati, circa annum 829, Ludovicum Pium adierunt, ab eoque cum alia, tum haec, rogarunt, ut *idoneos* Suecicae genti *destinaret praedicatores*, quippe quod *multi in gente sua erant, qui Christianae Religionis cultum suscipere desiderarent.* Suadente igitur *Walone*, monasterii Corbejensis hoc tempore abbate, ad difficillimum munus eligebatur *Anscharius*, qui antea eodem munere in Dania functus fuerat. Postquam hic, una cum *Withmaro*, ejus socio, in Sueciam pervenerat, rex *Björn* veniam ipsis concessit, ut Religionem Christianam libere per Sueciam propagarent. Nec tamen diu hic commorabantur, quum post annum et dimidium ad Ludovicum redirent, et Anscharius Archi-episcopus Hamburgensis crearetur. A quo inde tempore, missis legatis, *Gauthberto*, *Ardgero* aliisque, religionem christianam in Suecia stabilire conatus est et propagare. Tandem vero, paucis ante obitum annis, ipse in Sueciam iter, secunda vice, suscepit efficitque ut, jactis sub dio aleis, eatenus agnosceretur Religio Christiana, quatenus cunctis libertas concedebatur, quamcunque vellent, doctrinam profiteri. Verum etsi, exeunte saec. X, sive ineunte saec. XI, qua de re inter historicos non convenit (2), *Olof Skötkonung*, baptismi ritu in Eccle-

---

(1) Supra pag. 4, not. 1.

(2) Lagerbring (l. c. § 21) et Strinnholm (*Svenska Folkets Historia* under Konungarne af Vasa Atten, T. II,

clesiam reciperetur, vel sic tamen certamen religionem inter christianam et ethnicam ante medium saec. XII haud finiebatur.

Increscente in dies Christianorum in Suecia numero, sensim paulatimque *Ecclesia* constituebatur. Varii condebantur Episcopatus: *Upsaliensis* in Uplandia, *Strengnesensis* in Södermanlandia, *Arosiensis* in Westmanlandia, *Scarensis* in Gothia occidentali, *Lincopiensis* in Gothia orientali, *Wexiöensis* in Småland et *Åboensis* in Finlandia. Summo autem in Ecclesiam Suecicam imperio, Pontificis Romani nomine, potitus est Archi-episcopus Hamburgensis, qui, quum medio saec. IX, Normannis, duce Jutlandiae rege, Hamburgam devastantibus, Bremam aufugisset, Episcopatum Bremensem, assentiente Pont. Rom., cum Archi-episcopatu Hamburgensi conjunxit (858). Quorum imperio postquam frustra *Emund Olofson* Suecos eximere conatus fuerat, Episcopum Scarensem hac dignitate investiens, ipse tandem Pont. Rom. summam in Ecclesiam Suecicam auctoritatem Archi-episcopis Lundensibus tradidit (1103). Qua auctoritate etsi nunquam deinceps Lundenses a Pontificibus fuerint privati, vel sic tamen effecerunt acerrimae lites cum Episcopis Upsaliensibus, a *Caroli Sverkeri* tempore, Archi-episcoporum nomine dictis (1), gestae, ut sensim sensimque in merum

---

p. 334) indicant annum 1008, v. Dalin (l. c. c. 20, § 4) annum 1001; Ericus Olai (*Hist. Suecorum Gothorumque*, a Loccenio edita, L. II, p. 31) annum 956.

(1) Lagerbring T. II, c. 8, § 4. c. 11, § 1 et 2. Thomaeus, *Christna Kyrkans Hist. uti Swerige*, p. 49. Sv. Baelter, *Om Kyrkoceremonierna*, p. 655.

abierit titulum, quo ad Reformationis usque tempora uti perrexerunt (1).

Ipsam vero *doctrinam christianam*, qualis in Suecia annuntiabatur, attendentibus, facile nobis apparet, quam longissime illam abfuisse a pristina sua simplicitate et integritate. Acceperant enim illam Sueci, postquam, per novem jam saecula, variae viguerant causae, quae ad illam depravandam contulerant. Nec igitur illa ipsis annuntiabatur Religio, cujus in eo est summa, ut Deum proximosque diligamus; sed ejusmodi potius, quae externos quosque ritus, sanctorum adorationem, peregrinationes in loca sacra, dona clericis aedibusque sacris facienda, hujusmodi alia praecipiebat. Unde factum est, ut Religio Christiana non eam habuerit vim in gente Suecica, quam, natura sua, exercere potest debetque, dummodo rite intelligatur. Quod tamen non ita intelligendum est, acsi omnis religioni christianae *vis salutaris* deneganda esset, quum egregie potius illam valuisse *ad emendandam Suecorum conditionem* pluribus probari possit. Stabilior enim vivendi ratio inter illos obtinuit, quo factum deinceps est, ut cum caeteris Europae populis gens Suecica magis magisque conjungeretur. Mitigavit Religio divina legum severitatem, mulierum emendavit conditionem, servitutemque limitibus circumscripsit et dehinc abolevit. Literae Latinae sensim sensimque exceperunt literarum Runicarum usum; instituebantur bibliothecae; disciplinis artibusque juvenes imbuebantur. Monomachiis atque vindictae eadem restitit; puerorum expositionem, etsi non

---

(1) Lagerbring T. II, c. 16, § 7, 11, 27; III, c. 2, § 10. Münter, l. c. T. II, P. I, pag. 113.

derepente profligare posset, vel sic tamen, ut rarior fieret, effecit; quumque matrimonium inter res sacras referret, variae de illo ferebantur leges ecclesiasticae, quibus imponebatur Suecis sancte illud conservare.

Quae cum ita sint, negandum sane non est, gentem Suecicam Religioni Christianae multum debuisse. Quae si vel gravioribus vitiis hoc tempore laboraverit, perniciosa ea dicere non ausim, quippe quae, ad instituendum populum rudiorem, purioris institutionis vix capacem, apprime fortasse accommodata fuerunt. At vero, quum non solum a doctrinae christianae indole abhorrerent; verum etiam ipsius in gente Suecica vim salutarem diminuerent, Ecclesiam Suecicam emendandam fuisse non dubitamus. Quod ut in aliis Europae regionibus sentiebant nonnulli, ita in Suecia etiam haud defuerunt viri, idem cogitantes. Frustra tamen reges nonnulli Clericorum auctoritatem infringere, ipsorum divitias diminuere, moresque emendare conabantur (1). Frustra Concilia Suecica varia ediderunt ad emendandos Clericorum et Monachorum mo-

---

(1) Inter alios Albertus, e Mecleaburgia oriundus, Margaretha, Carolus Knutson. De Alberto ita Ericus Olai (l. c. L. IV, p. 139): *Accessit et hoc vulnus doloribus prius inflictis, quod, convocatis omnibus, qui terras et praedia libere possidebant in regno, rex prolocutus exponit, quod statum suum juxta regalem decentiam nullo modo tenere posset, nisi ipsi hanc contributionem ei facerent, ut tam spirituales, quam seculares, omne tertium praedium suarum possessionum in auxilium sibi darent.* De Margaretha et Carolo conferri possunt Botin, *Om Swenska Hemman*, T. II. c. 2. Lagerbring, l. c. T. III, c. 9, § 28. IV, c. 8, § 32. v. Dalin, l. c. T. II, c. 15, § 8; c. 17, § 20.

res decreta (1). Frustra Ecclesiae Suecicae legati interfuerunt Consiliis oecumenicis, Constantiae et Basiliae habitis, ibique frustra tot audiverunt voces, Ecclesiam emendandam clamantes (2). Lethali enim somno oppressa erat Ecclesia Suecica, donec libertas civilis, quam armis sibi recuperarunt Sueci, libertati etiam religiosae viam straverit.

Antea, vero quam de Ecclesiae Suecicae reformatione hujusque auctore dicere instituo, pauca monenda sunt, de *Sueciae conditione politica*, temporibus, quae rerum sacrarum instaurationem antecesserunt. Quae cum arctissime cohaereat cum *Foedere Calmariensi* (Calmare-union), ab hoc incipiendum est. Itaque, postquam magnatum Suecorum regnandi studium *Folkungorum* familiam regia auctoritate privaverat (1363), idemque effecerat, ut Albertus, e Meclenburgia oriundus, coactus esset, imperium Margarethae cedere (1389), firma haec manu regni habenas tenuit. Quum vero, post obitum filii Olai, regis Daniae et Norvegiae, in his etiam regnis, summam adepta fuisset auctoritatem, tria, quibus imperabat, regna, foedere conjungere studuit. Res e voto ipsi cessit, cum Calmariae foedus factum fuerit (1397), quo in posterum uni eidemque regi parerent Dani, Sueci et Norvegii, atque ita inter se essent conjuncti, ut, inveterati odii obliti, sibimet invicem auxiliarentur contra quoscun-

(1) Inter alia inprimis commemoranda Concilia, Arbogae habita, annis 1396, 1412, 1417, 1423.

(2) Concilio Pisano legati ecclesiae suecicae haud interfuerunt. Scripserat quidem regni senatus ad singula capitula, ab illis rogans, ut viros idoneos eo dimitterent; sed frustra.

cunque hostes, qui illorum unum alterumve aggrederentur. Verum, quum in ipsis foederis conditionibus tales erant, quales brevi litigandi ansam non potuerunt non praebere, discidia hinc oriebantur gravissima. Etenim, vacante sede regia, a tribus regnis, unanimo consensu, rex eligendus erat, cui gravissimum erat impositum officium, ut singulas gentes, secundum antiqua illarum jura et privilegia, gubernaret (1). Quum vero Dani saepe reges eligerent absque Suecorum consensu, quumque hi reges, Danorum auxilio nixi, haud dubitarent Suecorum privilegia et jura violare, Sueci contra horum essent tenacissimi, surrexerunt sibique e gente sua regni gubernatores elegerunt. In his, prae caeteris, inclaruit *Sturiorum* gens, quae autem, quominus regnando pergeret, impedivit caeterorum magnatum Suecorum, inprimis *Trolliorum* (2), invidia, quae effecit, ut Daniae reges summo subinde in Suecos imperio potirentur, donec tandem Christiani II tyrannis gentem Suecicam ad arma vocavit et hinc ad libertatem duxit.

His praemissis, age, jam Gustavi I, rerum sacrarum in Suecia instauratoris, vitam narremus, qua enarrata, quam bene de patria sua meruerit Gustavus, facile intelligemus.

---

(1) De celeberrimo foedere Hvitfeld, *Danmarckis Rigis Krönicke*, p. 611; Lagerbring, l. c. T. III, c. 9, § 31; v Dalin, l. c. T. II, c. 15, § 9; Strinnholm, l. c. T. I, p. 1; Rühs, l. c. T. I, L. 5, § 124; Archenholz, *Hist. de Gustave Wasa*, trad. par Propiac., T. I, p. 127. Vertot, *Hist. des Revolutions de Suède*, T. I, p. 35.

(2) De his familiis deinceps, data opportunitate, plura.

CAPUT I.

GUSTAVI, RERUM SACRARUM IN SUECIA INSTAURATORIS, INSTITUTIO.

AB INEUNTE AETATE AD ANNUM VICESIMUM SEPTIMUM.

A°. 1496 - 1523.



In disquisitione de virorum celeberrimorum rebus gestis maximi sane est momenti, ut, qua fruiti sint institutione, rite indagemus. Cum hac enim institutione juvenili plerumque tam arcte cohaerent eorum res gestae provectiori aetate, ut non facile de his aequum pronuntiaturi simus judicium, nisi illius rationem habuerimus. Quam cum rite exponere non possimus, nisi attendamus ad res diversissimas easque subinde tam minutas, ut facile inane nobis videatur illas advertere, difficillima haec expositio dicenda est. Quae difficultas inde major etiam existit, quod plerumque historicorum cura prorsus indignae visae sint; quo fit, ut frustra ex illorum scriptis has res eruere conemur. Hac quidem difficultate nostrum etiam premi argumentum, mox vidi, quum, quotquot mihi adessent, li-

bros historicos pervolutans, quod quaerebam, vix invenirem. Quae autem congessi, etsi paucissima sint, hoc capite exponenda duxi.

Gustavi origo.

Incidit Gustavi annus natalis (1496) (1), in illa tempora, quibus, ut supra monui, gubernatores ex ipsa Suecia oriundi, patriae praefuerunt. Vasorum gens, è qua originem suam Gustavus duxit, regum Danicorum olim auctoritatem tuita fuerat (2); verum deinceps horum partes deseruerat, postquam Johan Christersson, Gustavi avus, matrimonium inierat cum Brigitta, Sten Sture Sen., regni gubernatoris (1471-1497, 1501), sorore. Quae deinceps etiam in hac familia viguerunt studia. Nam Ericus Johannson, Gustavi pater,

(1) Non convenit quidem inter vitae Gustavi scriptores de anno natali, indicantibus aliis annum 1488, vel 1490, aliis vero 1495, vel 1496, vel 1497; sed satis certis argumentis niti videtur sententia, annum 1496 ceteris praeferendum esse. Etenim inter Chronicorum de Gustavi vita scriptores magis convenire videtur de die, quo natus est, quem fuisse perhibent 12 m. Maji, *quo tunc*, ut addunt, *celebrabatur festum abitus Chr. in coelum.* Hoc autem festum non nisi A°. 1496 celebratum esse die 12 m. Maji, unicuique patet attendenti, Paschatis festum hoc anno incidisse in diem 3 Apr., dum caeteri, quorum mentionem injecimus, anni, idem habuerint Paschatis festum diebus 6 Apr., 11 Apr., 19 Apr., 26 Martis. J. J. Littrow, *Calendariographie* etc. p. 170. Ideler, *Lehrbuch d. Chronologie*, p. 345-352. v. Geijer, T. II, p. 5.

(2) De Vasorum gente digni, qui conferantur, Lagerbring, T. III, c. 10, § 14; IV, c. 5, § 19. v. Dalin, T. III, P. I, c. 1 § 2. v. Geijer, T. II, p. 3. Strinnholm, T. II, p. 1. Frÿxell, *Berättelser ur Swenska Historien*, T. III, P. I, c. 1.

consanguinitatis vinculo Sten Sture juniori († 1320) junctus, huic Sueciae gubernatori addictus fuit (1). Ex his vero ut cognoscitur Gustavi parentum de rebus politicis sententia, ita attendenda inprimis illorum indoles est. Docet enim omnium temporum experientia, quantam vim parentum indoles habeat in flectendis teneris puerorum animis. Praeterea vero in ipsa Gustavi historia talis subinde viri celeberrimi patet indoles, ut audaciae immerito eum accusare videatur, qui suspicetur, parentum indolem, quodammodo certe, contulisse ad informandum juvenilem Gustavi animum. Quodsi igitur colligamus ejusmodi narratiunculas (2), quales, quippe e vita domestica desumtae, egregie plerumque accomodatae sunt ad depingendam imaginem veram, Gustavi pater vir nobis proponitur vehemens quidem subinde, verum etiam honestus et facetus, dum Cecilia, quam matrimonio tenuit, animo erat tristis simul ac pia. Hanc parentum indolem referens, Gustavus, primis non modo vitae annis sed provectiore etiam aetate, vehementiam prodidit, simul vero animum pium et honestum, quin imo a facetiis haud abhorrebat. Cujus rei exempla commemorandi opportunitatem quum saepius deinceps nacturi simus, hic ea, e publica ejus vita depromta, afferre supervacuum videtur.

---

(1) v. Geijer, l.c. Frijxell, l. c. Strinnholm, l. c. pag. 4.

(2) Exstant apud v. Geijer, l. c. Strinnholm, l. c. Frijxell, l. c.

Gustavus in Sten Sture Sr. aula.

Parentum institutione haud diu gavisus est Gustavus. More enim, eo tempore, in Suecia receptum erat, ut adolescentes, e patricia gente orti, in hanc illamve nobilium aulam se conferrent, ubi imbuerentur principiis illarum artium doctrinarumque, quae ad illorum pertinere eruditionem censebantur. Itaque Gustavus villam Lindholmensem (1), in qua natus erat, reliquit, et in Sturii S[r]., cujus e fratre erat nepos, aulicos adsciscebatur. In hac autem aula ea vigebant studia, quae ad instituendum futurum rerum sacrarum instauratorem valere potuerunt. Scilicet post obitum Christophori Bavariensis, ad dignitatem regiam vocatus fuerat Carl Knutson (1448), qui, postquam saepius hac dignitate privatus fuerat, tandem moribundus Sten Sture S[rem]. regni Suecici gubernatorem dixit. Obloquebantur unionis Calmariensis patroni, quos quum Sture devicisset, regni Senatus Caroli voluntatem, Sture regni gubernatorem dicentem, ratam fecit (1471). Vir erat Sture regnandi arte (2) non tantum et fortitudine (3) conspicuus, sed etiam literarum artiumque amore flagrans (4). Praeterea vero et ipse

---

(1) Sita haec villa erat in Uplandia prope Holmiam.

(2) Hujus rei exemplum in eo est, quod cives et rusticos etiam ad comitia vocavit, qui antiquissimus mos in desuetudinem abierat. Strinnholm T. I, pag. 160. Lagerbring T. II, c. 18, § 13.

(3) Fortitudinis documenta, cum alibi, tum inprimis in pugna adversus Danos, A[o]. 1471, edidit Strinnholm, l. c. pag. 155.

(4) Suecia Academiam Upsal. summo viro debet; qua de re infra plura dicemus.

vitae purioris exemplum dedit illustrissimum, et, variis de moribus latis legibus, subditos suos ad eandem adducere conabatur (1). Verbo, vir erat Sture, quem utrum ob fortitudinem magis, an vero ob sapientiam et pietatem admireris, facile dubius haereas. Quapropter haud immerito hancce aulam futuro rerum sacrarum instauratori scholam dicas aptissimam. Quanta enim aliquando opus ipsi esset animi fortitudine ad ineundum gravissimum cum Ecclesiasticis certamen, et ad reprimendas, quae e rerum mutatione oriundae essent, subditorum seditiones! Quanta sapientia ad tot tantasque difficultates tollendas, tot tantaque peragenda indigebat! Quantopere praeterea egregium, quod in Sturii aula intuebatur, pietatis exemplum eo valere potuit, ut deinceps intelligeret, Clericorum et Laicorum vitam esse depravatam eamque emendatione indigere! Haec autem omnia etsi apprime essent accommodata ad praeparandum Ecclesiae Suecicae instauratorem, inprimis tamen eo valuerunt, quas cum Clericis gessit regni gubernator, lites. Clerici nimirum foedus Calmariense et hinc regum Danicorum auctoritatem strenue defendebant. Quod, unde ortum fuerit, docent Gustavi Trolle, Archi-episcopi, verba; quippe qui, in Clericorum Suecicorum conventu, perhibuit: „regnorum septentrionalium conjunctionem eo magis ab Ecclesiasticis esse defendendam, quo magis, hac vigente, certiores esse possent de communi cum regibus Danicis in Sueciam regimine" (2). Nec sane

(1) Exempla vide apud Strinnholm, l. c. pag. 160.

(2) Perhibuit: *att de, kyrkans fäder och tjenare, borde så mycket mer vara mone om den Nordiska föreningens*

procul a veritate aberat, cum non tantum, teste historia, majorem auctoritatem sibi vindicare potuerint Clerici, ubi regum gubernatorumve praesentia haud premebantur, quam ubi praesentes hi illis aderant; verum etiam reges Danici, ut firmum adversus nobiles Suecicos haberent praesidium, Clericos muneribus cumulare solebant. Quae cum rite intelligerent Ecclesiastici, gubernatoribus Suecicis plerumque erant infensi, nec, regnante Sturio, odium illud deposuerunt. Praeerat hoc tempore Ecclesiae Suecicae *Jacob Ulfsson* (1), qui Sturio, cui debebat dignitatem archi-episcopalem, addictus vixisset, nisi ad alia eum incitasset Ecclesiasticorum commodum. Nec igitur dubitavit clam primum, deinceps vero palam, regibus Danicis favere. Etenim, quum regni senatus regiam dignitatem Johanni II, Danorum regi, obtulisset, nec tamen Sturius auctoritate se sua abdicare vellet, archi-episcopus anathemate regni gubernatorem petiit (1497). Sture autem, virum non metuens, sedem archi-episcopalem Upsaliensem obsedit, et, cum Canonici ipso rogante haesitarent, utrum in illius se confiterentur partes, contemta, qua illum minatus erat Archi-episcopus, bulla papali, terras archi-episcopales devastavit (2). Imo vero Henricum, Episcopum Lincopiensem captivum abduxit ipsamque arcem Steka-

---

bestånd, som de genom den samma voro förvissade att med Danska Konungarna alltid kunna utöfva en gemensam regering öfver Sverige. Strinnholm, l. c. p. 36.

(1) De hoc viro Thomaeus, l. c. p. 126 v. Dalin T. II. c. 20, § 11, not. h. Strinnholm, l. c. p. 163.

(2) v. Dalin, l. c. c. 19, § 17. Rühs, l. c. T. II, L. 8, § 171.

nam, in qua degere Archi-episcopus solebat, oppugnavit (1). Ut vero fortiter Clericis Suecicis restitit, ita prudentia sua excommunicationem papalem a se avertit. Recusaverat enim Sture, Dorotheae, Daniae reginae, dotem ipsius marito, Christiano I. tradere; quapropter Pont. Rom. Sixtus IV bullam ediderat minacem, in qua litis inquisitionem Episcopis Merseburgensi et Halberstadiensi mandabat. Sture autem ab horum aeque ac aliorum, quibus deinceps causa judicanda tradebatur, judicio ad sedem apostolicam provocavit effecitque ut per duodecim annos res differretur. *Quum vero* ut ait Innocentius VIII in bulla, ad Archi-episcopos Lundensem et Upsaliensem, nec non Episcopos Roschildensem et Strengnesensem, data (2), *causa hujusmodi jam per duodecim annos et ultra coram diversis judicibus et commissariis, tam in Romana curia, quam extra eam, fuerit agitata, dictisque Steno per viginti annos vel circa per vim et violentiam castra et alia bona praedicta ad praefatam reginam ratione dotium suarum et donationis propter nuptias pertinentia detinuerit et occupaverit ac fructis ex illis provenientes perceperit et levaverit, ac in suos damnabiles usus converterit.... pro parte ejusdem reginae nobis fuerit humiliter supplicatum, ut... in praemissis opportune provideri mandare de benigni-*

(1) Ll. cc. Caeterum arx Stekana (*Stäket*, *Almarstäk*) in historia Sueciae celeberrima ab anno inde 1440 Archi-episcopis Upsaliensibus cesserat. v. Dalin, l. c. c. 16, § 36. Thomaeus, l. c. p. 125.

(2) Haec bulla, A°. 1489 prid. non. Jul. data, exstat in O. Raynaldi, *Annalibus ecclesiasticis*, T. XIX, sub anno 1489.

tate apostolica dignaremur. Quapropter Ecclesiasticis, supra notatis, *per apostolica scripta mandat, quatenus hi, vel tres, seu duo, aut unus illorum postquam vocato Stenone et aliis litis consortibus praefatis et aliis, qui essent evocandi ipsis de re judicata hujusmodi legitime constaret, illam executioni debitae demandent... contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo* etc. Sture autem Romam misit *Hemming Gadd*, qui, ut ait Johannes M, (1) consilio providus, Pontificis iram placavit. E quibus ut apparet, quam graviter Sturio pugnandum fuerit adversus Clericos, ita eadem docent, quam egregie ab horum infaustis conatibus patriam defenderit. Qua in re difficultatem quidem primo obtutu Johannis M. de Sturio facit testimonium (2); verum, re bene perpensa, undenam hoc sit explicandum, facile explicari potest. Ita enim ille: *Steno talem se suis semper et ubique praebuit, ut inter quoscunque praecipuos et optimos heroes cum immortali laude connumeretur. Quippe si pietatem ejus erga Deum et Dei ministros attendimus, nulli in Christiana religione secundus erat. Pontifices et sacerdotes Christi tanta veneratione prosequebatur, ut se nunquam (quamvis tot populorum Princeps esset) praetulerit infimo Pontifici, imo inter pios et praeclaros mores aestimabat, minores Ecclesiae Praelatos, utpote Praepositos, Decanos et similes, ad*

(1) Reperiuntur haec verba in Olai M. *Hist.* L. IX. c. 21, pag. 366.

(2) Exstat hoc de Sturio testimonium apud Olaum M., l. c. pag. 364.

dexteram suam venerando obsequio deducere et primas sedes nedum in templis, sed in praetoriis et aliis publicis locis eis concedere. Feudalia quoque bona libenter et liberaliter ipsis assignavit. Quod sane testimonium iis repugnare videtur, quae supra de Sturii erga Clericos agendi ratione notavimus. Verum haec quum historicis documentis nitantur, nequaquam Johannis M. verbis tolli possunt. Nec tamen difficile videtur explicare, quae tandem res causam praebuerit, cur ita Johannes testatus sit. Etenim Sture solita sua prudentia hoc subinde agit, ut reverentiam suam erga Clericos declararet, eo quidem proposito, ut hos, magna auctoritate gaudentes, sibi devincerit et hinc patriae saluti addiceret.

Nostrum autem argumentum eatenus haec spectant, quatenus Gustavus, in Sturii aula institutus, jam hic fortasse odium erga Clericos susceperit. Nam si ullus est amoris et animi grati in juvenes effectus, si exemplorum illustrium vis ulla, dubitandum sane non est, quin Gustavi animus, etsi nunc omnia non intelligeret, illius viri, quem magnopere adamabat, verbis et exemplo vehementer fuerit commotus. Sed Sturium quanti Gustavus fecerit ex ipsius appareat verbis, quibus usus est in *Epistola*, ad *Laurentium Petri* data, de *Olai* fratris Chronico Suecico, in quo libro, quum quaedam de Sturio narrasset auctor minus honorifica: *honestus ille et christianus regni gubernator*, Gustavus inquit, *honestior erat, quam qui hujusmodi fraudibus turpissimis uteretur* (1).

---

(1) Data haec epistola fuit Gryphisholmiae A°. 1554. Verba autem, quorum mentionem injeci, haec sunt: *Then ährlige*

Gustavus ad parentes rediit et hinc Svantii Sture aulam adiit.

In Sturii Sr. vero aula quominus ad viri celeberrimi obitum degeret, impedivit Johannes II, Daniae rex. Hic enim Sturium visitans, adolescentem animadvertit cum sodalibus ludentem, et ex illius agendi ratione magna quaeque praesagiens, ut in Daniam secum proficisceretur, ipsum rogavit. Sture vero, metuens ne rex obsidem haberet Gustavum, non tantum rem recusavit; verum etiam eum ad parentes, qui modo in Alandia, modo in Uplandia et Södermanlandia degebant, remisit. De hac autem Gustavi vitae parte quominus plura dicamus, impedit historicorum silentium. Quocirca hanc praetermisissem, ad argumentum illustrandum non facientem, nisi ex eo, quod Gustavus, per aliquot saltem annos, nunc denuo parentum institutione usus fuerit, confirmarentur, quae, initio hujus capitis de parentum in juvenem erudiendum vi diximus.

Postquam vero diem obierat Sten Sture (1503), eique e Senatus decreto successerat Svante Sture (1504), in gubernatoris aulam rediit Gustavus. Huc enim undique confluxerunt juvenes nobilissimi, maxime Svantium facientes, quippe qui vir erat variis virtutibus clarus. Fortitudinem ut ipse variis opportunitatibus declaravit, ita tanti hanc fecit, ut *nullos*,

---

och Christelige Regent Hr. Sten war fast ährligare, än at han skulle med sådane lettferdige practiker umgå. Hallman, *The twenne Bröder*, etc. Strinnholm, l. c. T. I, pag. 151 in not.

prouti narrant Johannes et Olaus M. (1), *effoeminatae levitatis homines in suam familiaritatem admitteret, sed audaces, fortes, validos et ex aliorum procerum curiis electos.* Quam virtutem ita agnoverunt omnes, ut *publico proverbio receptum* eo tempore *fuerit,* testibus iisdem scriptoribus, *quod nullus in familiam Svantonis ascriberetur, qui securi in faciem caesus conniveret.* Praeter viri animum fortem laudant Svantii justitiam, humanitatem, patriae amorem, vitae integritatem. Cum hoc igitur viro quum Gustavus, per aliquot tempus, degerit, tam fortitudinis honorisque sensibus, quam justitia et humanitate imbuebatur. Juvenis quidem erat; sed, experientia duce, juvenili aetate ea oriuntur in homine virtutum vitiorumque principia, quae in virtutes deinceps vitiaque erumpunt. Quapropter nulli dubitamus, quin gubernatoris aula, in qua tam egregia vigebant studia, multum contulerit ad informandum virum, res sacras aliquando emendaturum. Fortitudinem enim, quam in Sturio laudavimus, in Sueciae Ecclesiae instauratore requisitum iri, supra me monere memini. Nec vero minus opus ipsi fore justitia, humanitate, patriae amore, unicuique appareat necesse est, reputanti, quantopere mutanda essent cum Ecclesiasticorum jura, privilegia, reditus, verbo omnis conditio, tum vero etiam Laicorum conditio civilis atque moralis. Quodsi enim justitiae sensibus Gustavus imbutus non fuisset, avide deinceps arripuisset

---

(1) Olai testimonium legi potest l. c. Lib. XVI, § 55. Johannis autem verba in eodem leguntur opere, Lib. VIII, c. 40.

opportunitatem vexandi, quos odio habebat, Clericos et Laicos, ipsi, Ecclesiam emendanti, resistentes. Verum si, qua erat Gustavus, justitia ab injustis illum averteret conatibus, humanitate praeterea Svantii instar subditorum animos, tot tantasque mutationes, quales efficeret rex, vix ferentes, benevolos sibi redderet. Tandem vero efficeret amor, quo a juvenili inde aetate, patriam amplectebatur Gustavus, ut rerum sacrarum emendationem non unice haberet auctoritatis augendae viam, sed ideo etiam illam curaret, quo magis ut patriae salutem promoveret.

Quae ut sufficerent, ad probandum Gustavum gubernatoris aulae multum debere, ita inprimis animadvertendum est, in hac aula literis ipsum operam dedisse et majus etiam, quam adhuc fortasse foverat, in Clericos contraxisse odium. Nactus enim hic est praeceptores *Ericum Falk* (1) et *Hemming Gadd* (2). Horum ille et prudentia, et doctrina, sui aevi multis antecellebat. Quam longissime autem abesset a cogitandi ratione caeterorum hujus temporis Ecclesiasticorum, depravatam Ecclesiae formam acriter defendentium, non modo illud docet, quod inter Episcopos evangelicos Scarenses et Lincopienses egregium deinceps obtinuerit locum; verum idem apparet e cura, qua ut doctores evangelici rite instituerentur

---

(1) De hoc viro conferri merentur Thomaeus, l. c. p. 296, et v. Dalin T. III, P. I, c. 1, § 3.

(2) De viro, in Sueciae historia, celeberrimo Thomaeus, l. c. p. 135. O. Celsius, *Konung Gustaf I Hist.*, T. I, p. 28. v. Dalin T. II, c. 19, § 24; c. 20, § 2. Johannes M., l. c. L. IX, c. 21, p. 365.

et vitam agerent integram, omni, quo potuit, modo, curavit. At Hemming Gadd, qui, Sturii S^r. res curans, Romae antea degerat, in patriam rediit deinceps, postquam a Canonicis Lincopiensibus ad dignitatem episcopalem fuerat vocatus. Pontifex Romanus, electo ad munus gravissimum Hispano, Jacobo Arborensi, priorem illam electionem non modo non probavit, sed excommunicatione adeo Gaddum petiit (1506). Hinc mirum sane non accidit, Gaddum illa in Pont. M. caruisse reverentia, qua hic a plerisque hujus temporis hominibus habebatur. Ut vero Pontificem haud reverebatur, ita Clericos Suecicos odit vir, patriae amore conspicuus. Dicere solebat: Turcis se malle Tartarisve obedire, quam Danis, Clerici contra etiamnunc foedus Calmariense restituere conabantur. Ipse vero omnia molitus est ad depellendos quoscunque, Danorum auctoritatem propugnantes. Consiliis modo, modo armis patriam ab eorum impetu vindicavit. Hinc Johannis M. testimonium (1): *Hic enim Lincopiensis ecclesiae Praelatus infulam galea, baculum gladio, togam pelta commutans, tam formidabilis erat inimicis, ut plus eum, quam Stenonem, regni Principem formidare viderentur. Erat enim animo audax, consilio providus, in philosophica eruditione praecipuus et in re militari instructissimus: sed parum religioni et ecclesiasticis rebus inclinatus.* Quibus omnibus si addimus, ipsum Svantium, etsi Clericos revereretur, vel sic tamen haud dubitasse ipsis se opponere, si vel patriae salus hoc exigeret, facile nobis

(1) Olai M., *Hist.* Lib. IX, c. 21, pag. 365.

patebit, virorum, quorum et doctrina et exemplo in Svantii aula instituebatur Gustavus, curam non potuisse non valere ad formandum futurum rerum sacrarum in Suecia instauratorem.

Quod magis etiam nobis apparebit, si perpenderimus Gustavum in hac aula literarum cognitione fuisse imbutum. Quomagis autem haec cognitio summi, docente historia, erat momenti, in excitanda propagandaque Reformatione, eo magis dolendum est, historicos Suecicos tam parcos fuisse in exponendis, quae hanc causam spectant. Etenim quanta doctrinae copia inclaruerit Ericus, prorsus ignorasse videntur, nec multa exhibent specimina, e quibus appareant Hemmingii animi ingeniique dotes. Unus Johannes M. viri celeberrimi nobis conservavit orationem, e qua nonnulla ad rem nostram explicandam facientia, colligere liceat. Etenim ex hac oratione (1) virum cognoscimus, qui non modo cum scriptoribus latinis, ut Cicerone, Ovidio, aliis, aliquam certe familiaritatem contraxit; sed etiam in Cod. S. non plane hospes erat dicendus. Quumque vero praeterea ex eadem hac oratione pateat, Hemmingium et historiae cognitione et eloquentia valuisse, magnam ex hujus viri institutione in Gustavum redundasse utilitatem, non temere affirmamus. Cui sententiae major inde accedit vis, quod Hemmingius singulari amicitia amplexus est Gustavum, qui ita illius admirabatur doctrinam, eloquentiam et

(1) Haec oratio: *pro foedere Suecorum cum Lubecensibus et eorum confoederatis ineundo*, in regni senatu habita, exstat in Olai M., *Hist.* Lib. VIII, c. 40, pag. 337 - 347.

patriae amorem, ut maximam e patriae, quam conscripserat ille, historia, voluptatem percipere soleret (1).

Gustavus Upsaliam profectus deinceps est.

Quum vero rerum politicarum conditio, lites cum Danis gerendae, quaeque cum his conjunctae erant dissensiones domesticae, Sturium detinerent a rite curanda Gustavi institutione, optimum ipsi visum est, adolescentem Upsaliam dimittere, ut ibi pro temporis ratione institueretur. Upsaliae enim, praeter scholas triviales, quas dicere solebant, a Sturii Sr. inde tempore, Academia condita erat. Icciroo Gustavus, postquam forsan in scholis trivialibus iis imbutis fuerat artibus, quae tironibus tradi solebant, institutione usus est academica. Scilicet a saec. inde XIII, in Suecia, incitante Honorio III (2), scholae ad Ecclesias Cathedrales conditae fuisse videntur, quin Upsaliae saltem hujusmodi institutum floruerit, omni dubio majus est. Quum vero in hac, ut in aliis scholis cathedralibus, Theologiam unice docerent praeceptores, ideoque juvenes Suecici varias, quae in Europa hoc tempore floruere Academias, Pragensem, Lipsiensem, Coloniensem, prae caeteris vero Parisiensem (3)

(1) Olaus Celsius, l. c, p. 29.

(2) Honorii bulla, A°. 1219, *ad venerabiles fratres, Archi-episcopum et Episcopos et dilectos filios ceteros Ecclesiarum Praelatos et Capitula per Sueciam constitutos*, data, partim est apud Lagerbring, l. c. T. II, c. 20, § 8, not. 1-3.

(3) In hac enim urbe *Andreas And*, Canonicorum Upsa-

adirent, Ericus XIII, quantopere juvenum institutio emendatione indigeret, intelligens, a Pont. Rom. Academiam instituendi veniam petiit. Rem concessit Martinus V, ea tamen conditione, ut Academiae Professores Theologiam haud docerent, ne detrimenti quid caperet doctrina salutaris (1). Quod tamen propositum, quum rex Sueciae eo tempore assecutus non esset, Sture S^r., ejusdem deinceps rei curam suscipiens, Ragvaldum Ingemundi, Canonicum Upsaliensem, Romam misit, a Pontifice petiturum, ut regni gubernatori liceret Upsaliae Universitatem condere; quam veniam Sixtus IV, sedem papalem eo tempore tenens, non solum dedit; verum etiam omnia, quibus in Italia Academia Bononiensis fruebatur, jura, novo instituto concessit. Ipse vero regni senatus, in conventu Strengnesensi (1477), decrevit, ut, ad instar Academiae Parisiensis, in Suecia conderetur Universitas Upsaliensis. A quo inde tempore Theologia, aeque ac Philosophia, Jus Civile et Canonicum, nec non Medicina excoli hic et pertractari solebant.

Gustavus, in hac Universitate degens, praeceptores ibi nactus est *Henricum Sledorm*, *Ericum Nicolai Swart*, *Mattheum Erici*, *Christophorum Swart* et *Ingolfum*. De quibus quum paucissima scriptores Suecici

---

liensium Praepositus, domum emerat, in juvenum, hanc Academiam adeuntium, usum. Hallman, l. c. p. 5.

(1) Digni, qui conferantur v. Dalin T. II, c. 18, § 25. Lagerbring T. IV, c. 2, § 6; inprimis vero Ilvitfeld, l. c. p. 674, et Münter, l. c. T. II, p. 988, quippe qui Martini V bullam, de condenda Academia, A°. 1418, ad Archi-episcopum Lundensem et Episcopum Roschildensem datam, exhibent.

commemorent, recte judicasse videtur Lagerbring, quum quereretur, monumenta, ad illustrandam Sueciae historiam facientia, res maximi momenti silentio plerumque praetermittere. Quid enim in exponenda viri celeberrimi institutione majoris esse momenti posset, quam hoc, ut recte et doctrinam et indolem praeceptorum, quibus utebatur, cognoscamus? Quidquid vero est, Gustavum in Theologiam et Jus Canonicum (1) incubuisse constat, eaque in his studiis versatus est assiduitate, ut prae sodalibus longe excelluerit. Et, si conjecturis hac in re locus dandus esset, a temporis conditione alienum haud putarem, si quis statuere velit, tales Upsaliae Gustavum contraxisse de S. Codice et Jure Canonico notiones, quales deinceps effecerunt, ut nequaquam dubitaret illius auctoritatem hujus decretis anteferre. Paucis rem illustremus. Nimirum in Suecia Juris Canonici auctoritas ante comitia Skenningensia nulla fuerat. In his quidem comitiis, Guilielmus Sabiniensis, legatus papalis,

---

(1) Cff., quae de Juris Canonici studio notavit Doct. de Reuver Groneman, *Diatribe in Joannis Wicliffi, reformationis prodromi vitam, ingenium, scripta*, quibus pauca, Sueciam spectantia, addenda mihi videntur. Nimirum in comitiis Skenningensibus, A°. 1248 habitis, inter alia, de quibus data opportunitate agendum nobis erit, hoc etiam Clericis Suecicis praescriptum fuit: *Praecipimus quoque Archi-Episcopo Ups. et omnibus suffraganeis ejus in virtute obedientiae, ut intra annum habeant et possideant, dum vixerint, jure proprietatis Librum Decretalium, secundum ultimam compilationem, quae facta fuerit tempore venerabilis memoriae Gregorii P. P. IX.* Lagerbring T. II, c. 12, § 35. Münter, *Magazin für Kirchengeschichte u. Kirchenrecht des Nordens*, T. I, p. 183.

non ausus fuerat, istius Juris auctoritatem pronuntiare, sed praeceperat tamen, ut Episcopi Suecici decretalium librum sibi compararent et *in eo studerent, secundum quod dominus eis gratiam ministraret.* Quo factum est, ut Clerici omnem moverent lapidem ad ista sibi vindicanda jura, quae decretalibus niterentur. Res autem in Suecia, non ut alibi, e voto ipsis cessit. Aderant enim hic leges civiles, primum quidem non scriptae, verum literis deinceps mandatae, quae quum varia continerent, Juri Canonico non faventia, hujus vis in Suecia nunquam talis fuit, qualis in aliis Europae regionibus ipsi adscribebatur. Theologia vero, quae in Universitate Ups. tradi solebat, non unice illa erat, quae, scholasticis usitata, extra S. S. sapiebat, sed, quae e S. Cod. interpretatione, qualicunque tandem illa, hauriebatur. S. Cod. enim interpretationem, aliquatenus saltem, hic viguisse vel ex iis apparet antiquitatis reliquiis (1), quae lectiones exhibent de Euangelio Matthei, primum, post universitatis ortum, habitas. Qualiscunque vero haec interpretatio fuerit, aliquam tamen ex ea tirones S. Cod. contraxerunt notitiam, quae, variis deinceps opportunitatibus, aucta et emendata, ad recipiendam Reformationem illorum animos praeparavit.

Gustavus in Sten Sture Jr. aula.

In hac autem schola dum versabatur Gustavus, diem obierat supremum Svante Sture (1512). Quo mortuo

(1) Rühs, l. c. T. III, L. X, § 197, p. 53.

dubius haerebat regni Senatus, filiumne Svanti regni gubernatorem crearet, an vero Ericum Trolle, *in quo*, ut ait Johannes M., *plurimae erant partes, ob quas non solum Princeps, sed rex, creari meruisset.* Quum vero, ut idem addit, *Trolliorum familia non parvum apud Danos haberet numerum praediorum, et, ne illa amitteret, Danorum partibus studiosius, quam utilius, inserviret* (1), post varias hac de re contentiones, regni gubernator creabatur Sten Sture Jr. Svanti filius. Nec tamen exstinctum ita est, quod inter Suecos ortum fuerat, dissidium. Imo vero brevi post flamma exarsit, quum Jacobus Ulfson, facile perspiciens vires sibi defuturas, quibus juveni se opponeret agili fortique, munere se suo abdicaverit, ut Archi-Episcopus eligeretur, qui juvenili ardore causam suam propugnare posset. Canonici enim Upsalienses elegerunt Gustavum Trolle (2), Erici filium, proavorum erga gubernatores Suecos odii aeque ac nominis haeredem. Qui quum Roma in patriam redierit, bulla papali munitus, qua Leo X liberum illum declarabat a respondendo coram judicibus civilibus, brevi, quae mente volvebat consilia, omnibus palam fecit. Etenim Sture, ut amicitiam restitueret duas inter familias, in Suecia potentes, Holmiae multos instituit apparatus, ad laute Archi-episcopum, in patriam redeuntem, excipiendum. Frustra autem hoc conatus est regni gubernator. Aliam enim ingressus viam, Upsaliam adiit Trolle. Frustra epistolam ad illum misit Sture, qua suam erga

---

(1) Olai M., *Hist.* Lib. VIII, c. 40.
(2) Viri fata apud Thomaeum, l. c. p. 126.

Archi-episcopum reverentiam profitebatur, patris nomine illum vocans. Frustra ipse Upsaliam profectus, in Ecclesia Cathedrali coram altari amicitiam suam ipsi offerebat. Ignominiose enim Archi-Episcopus Sturium tractavit, quin imo in aula sua amice excepit omnes, qui odio erga gubernatorem ducebantur. Quid? quod deinceps, Telgam evocatus, ut, tanquam regni Senatus socius, jurejurando se gubernatori obstringeret (1), eo proficisci non modo recusavit; verum etiam in arce Stekana senatum suum convocavit, ut sententiam senatores proferrent de optimo, quo Sture munere suo posset privari, modo. *Durior* enim *erat in Archi-Episcopo animus, quam quod permitteret sibi aliquam concordiam persuaderi cum Stenone, qui patrem Ericum a tam amplo principatu seclusisset* (2). Sture igitur, graviter haec omnia ferens, primum apud sedem papalem queri constituit de Trollii agendi ratione; deinde vero Arbogam Senatum cogere, et ira incensus, ipsi insidias, quas struere conabatur Archiepiscopus, indicare; vivis coloribus, quo patria versabatur periculum pingere; tandem vero Senatui persuadere, ut Trollium munere suo indignum declararet,

---

(1) v. Dalin, T. II, c. 20, § 13. Strinnholm T. I, p. 200. Olaus Celsius T. I, p. 41. Caeterum Archi-Episcopum ejusque Episcopos suffraganeos, vi muneris, regni Senatus fuisse socios, testatur Strinnholm, l. c. p. 35. Huic autem testimonio cum repugnent leges Suecicae (Lagerbring T. II, c. 13, § 6, not. 2; III, c. 7, § 3, not. 1.) ita hac de re judicandum videtur, ut more receptum fuerit, Archi-episcopum ejusque suffraganeos tractare, acsi, vi muneris, ad regni Senatum pertinerent.

(2) Sunt verba Johannis M., l. c. p. 336.

patriae hostem, simulque juberet, ut Stekana arx expugnaretur et devastaretur. Brevi igitur post obsedione arx cingebatur et postquam frustra Dani conati fuerant obsedione illam eximere, cogebatur Archi-Episcopus Senatus decreto obedire, quo facinorum rationes Holmiae ab ipso reddendae erant. Itaque summa coram Senatu se sistit impudentia: » Vos," inquit, » meam agendi rationem dijudicare haud potestis. A culpa autem me vacuum esse coram Pont. Rom. probaturus sum, qui saeculari aeque ac spirituali me donavit gladio, quibus fidem, regibus Danicis datam, defendere sum conatus. Proditor ille dicendus, qui a data fide vos abducere conatur — servi, nunc juvenis vehementis vos estis" (1). Quo responso adeo Senatores exarserunt, ut munere suo perduellem Archi-Episcopum indignum censerent et decernerent alium Roma petere, ad hanc dignitatem aptiorem. Simul vero devastandam esse arcem Stekanam pronuntiarunt, quod ut ad finem perduceret gubernatori mandarunt. Hic tam fortiter pugnavit, ut brevi Trollius arcem ipsi tradere et munere suo se abdicare cogeretur (1518).

Sufficiant vero haec ad exponendam rerum politicarum hoc tempore in Suecia conditionem, quae, quomodo cum nostro argumento cohaereat, jam videamus. Neque tamen longa expositione hoc indiget. Etenim Gus tavus, A°. 1514, Universitatem Upsaliensem cum Sturii aula commutaverat. Dum igitur acerrimae hae lites age-

---

(1) v. Dalin, l. c. T. II, c. 20, § 15. Olaus Celsius T. I, p. 51. Strinnholm, l. c. T. I, p. 205.

bantur inter Archi-Episcopum et regni gubernatorem, in Sturii aula degit. Imo vero tam in arcis Stekanae obsedione, quam in pugna adversus Danos, Archi-Episcopo auxiliaturos, prope *Dufvenäs* et *Bränkyrkan*, fortiter gubernatoris partes propugnavit (1). Quantopere vero Trollii caeterorumque Clericorum agendi rationem vituperaverit, apparet e verbis, quibus horum temporum memoriam in comitiis Arosiensibus (1527) renovavit: » Satis superque," inquit, » expositi olim fuerunt regni gubernatores Hierarchiam offendendi periculo, ut adeo impedire haud potuerint illi, quin vi armisque illos aggredirentur Clerici, cujus rei exemplum illustrissimum fuit Gustavus Trolle, haudquaquam dubitans, quin Sturio responderet: gladium a Pont. Rom. ipsi datum fuisse acutissimum atque adeo aliis armis quam cereo se velle pugnare" (2).

Praeterea vero observandum est, Gustavum in hac quoque aula Hemmingii institutione usum fuisse. Neque tamen opus est, ea hic repetere, quae antea de viri celeberrimi et indole et doctrina monui. Unum hoc animadvertendum est, amicitiae vinculum, quo Hemmingio Gustavus jungebatur, eo magis nunc valere potuisse ad ipsum informandum, quo magis aetas provectior majora intelligat majoraque in votis habeat.

---

(1) v. Dalin T. II, c. 20, § 14. Strinnholm, l. c. T. I, p. 204. Olaus Celsius, l. c. T. I, p. 49. v. Geijer, l. c. T. II, p. 7. Frijxel, l. c. p. 6.

(2) v. Geijer, l. c. p. 69 quocum conferantur Hallman l. c. p. 73.

Gustavus, captivus in Daniam abductus, hinc deinceps aufugit.

Una cum viro amicissimo brevi post Gustavus e patria captivus in Daniam abducebatur. Nimirum, postquam Johanni in Dania successerat Christianus II, hic, quod frustra tentaverat ille, Sueciam sibi subjicere quocunque modo conatus est. Attamen tam infausto prope Dufvenäs et Bränkyrkan pugnavit exitu, ut coactus fuerit de pace cum Sturio agere. Iccirco, ut tuto ipse Christianus Halmiam proficisci posset, dati fuerunt obsides. Quos postquam interceperat, non tantum non profectus est rex; sed ne datam quidem fidem servavit, obsides, in quibus Hemmingium et Gustavum, captivos in Daniam abducens (1). In qua regione, etsi Gustavus amice tractaretur ab Erico Baner (2), cujus custodiae a rege traditus fuerat, vel sic tamen vitam degebat miserrimam. Christianus enim, bellum adversus Suecos meditans, copias undique sibi comparabat; et jam nunc de victoria, quam reportaturi essent, gloriabantur Dani. Quod quum inprimis facerent juvenes nobiliores, Baneri aulam frequentantes, quippe qui dicere solebant: *nunc se velle cum Suecis ludum Sti. Petri ludere* (3), quid mirum Gustavum fugam

(1) Plura hac de re apud v. Dalin T. II, c. 20, § 16. v. Geijer, l. c. p. 7. Olaus Celsius T. I, p. 56.

(2) Huic enim viro consanguinitatis vinculo junctus erat. v. Dalin T. III, c. 1, § 4. Frijxell c. 3. p. 6.

(3) Ajebant hi: » *att de nu med Svenskarne ville leka Sanct. Peters lek.*" Inter causas enim, quibus Christianus inductum se esse perhibuit ad bellum adversus Suecos gerendum, haec erat, ut vi excommunicationis, qua Sturium alios-

cogitasse? Quid mirum juvenem, cujus animus patriae amore flagrabat et in Danos odio, cum coactus esset a patria defendenda se abstinere, e carcere effugisse? Quam igitur diu meditatus fuerat, fugam, sub finem anni 1519 suscepit, et postquam varia exantlaverat pericula, urbem *Lubecensem* ingressus per octo menses ibi detinebatur.

Quae quidem commoratio *Lubecae* magnam habuisse videtur vim in Gustavum, futurum rerum sacrarum instauratorem: quippe, caeteris missis, quae illic habuit, fatis, in hac urbe Reformationis, a Luthero in Germania excitatae, fama ad ipsum pervenit (1). Quae qualis fuerit et quomodo a Lubecensibus fuerit excepta, non constat. Lutherus theses suas affixerat; multorum autem Germanorum assensus docuerat, quantopere desideraretur Ecclesiae emendatio. Idem vero desiderium quin Lubecae etiam viguerit hoc tempore, dubitandum non est. Etsi enim A°. 1528, jubente Senatu, Lutheri scripta, quotquot inter Lubecenses essent dispersa, flammis injicerentur et doctrinae Euangelicae propagatio non admitteretur ante annum 1530, quo *Johannes Wallhoff* et *Andreas Wilms*, purioris doctrinae propugnatores, ad doctorum, quo olim privati fuerant, munus revocarentur, vel sic tamen multi jam ante desideraverant, ut Ecclesiae abusus tollerentur. Nam Lubecensibus etiam molestum erat regi-

---

que Sueciae incolas petierat Leo X, hos puniret. v. Dalin T. II, c. 20, § 17. Strinnholm T. I, p. 207. Olaus Celsius T. I, p. 62. v. Geijer, l. c. p. 8.

(1) v. Dalin, T. III, c. 1, § 6. Olaus Celsius, l. c. p. 80. Strinnholm T. II, p. 16.

men Ecclesiasticorum, quippe qui magis augere divitias studerent, quam administrare publicum religionis cultum (1), et prospicere juvenum institutioni (2). Sed qualiscunque fuerit illorum, quorum hoc tempore familiaritate utebatur Gustavus, de Luthero ejusque agendi ratione sententia, Gustavus ipse jam antea pessimos Clericorum mores cognoverat et odium erga ipsos conceperat. Nunc autem innotuit ipsi, quam fortiter in Germania Lutherus illorum pravitati se opposuerat et sic quidem via ipsi indicabatur, quam ingredi deinceps posset.

Verum enim vero in his subsistendum non videtur. Etenim, quod deinceps Lutherum inter et Gustavum de rebus gravissimis obtinuit epistolarum commercium, satis superque docet Gustavum, ab illo inde tempore, quo Lubecae degit, Germaniae Reformatorem magni aestimasse.

---

(1) Etenim publicam Clericos neglexisse religionis exercitationem, apparet e legibus Instituti ad emendandum cantum sacrum, quod, A°. 1462, cives nonnulli Lubecenses fundaverant. In his enim legibus hae erant: *ock willen de Vorstenderen nicht, dat de Prester und Sengern de Vespern so en herslabbern, men se schölen se beschedeliken unde herliken singen;* et porro: *se schölen wol to sien, dat se to rechten tÿden erschinen, anders de Vorstenderen se afsetten schölen.* F. H. Grautoff, *Historische Schriften.* Lub. 1836. T. I, p. 49.

(2) Qualis haec Lubecae hoc tempore fuerit, unicuique in oculos incurrit, perpendenti, in urbe, quae 90,000 incolarum hoc tempore amplectebatur, sex tantummodo fuisse scholas, Grautoff, l. c. p. 38.

Gustavus in patriam redux.

Postquam vero Gustavus per octo menses Lubecae commoratus fuerat et frustra Banerus ab hujus urbis senatu petierat, ut fugitivus ipsi traderetur, in patriam rediit Gustavus. Sueciae autem hoc tempore conditio misserrima erat. Nimirum ingenti militum cohorte Christianus II illam agressus fuerat, et postquam Sture, fortiter pugnans ceciderat (1520), Sueci, duce destituti atque adeo inter se disjuncti, sub Daniae regis potestatem se dederant. Qui, etsi data fide pollicitus fuisset, se in Suecos haud esse animadversurum, brevi post consilia iniit de interficiendis nobilibus. Varia igitur agitantur consilia: placet Diderici Slaghökkii sententia: » Duo," inquit, » gladia rex tenet, alterum saeculare, spirituale alterum. Datam igitur fidem servare rex potest, Ecclesiae autem vindex non item." Quocirca Trollio injungebatur, qua illum affecerant, ignominiae Suecos accusare. Tertio igitur die, postquam coronatus fuerat Christianus, surgere Trollius, accusare illos, qui Ecclesiam Cathedralem Ups. aggressi fuerant, Stekanam arcem oppugnaverant et devastaverant ipsumque munere suo privaverant (1); petere deinceps, ut arx devastata restitueretur et punirentur quicunque Clericorum jura invasissent. Brevi igitur post capitis damnabantur omnes, qui decreto, a regni Senatu de puniendo Trollio in comitiis Arbogensibus (1517) facto, nomen subscripserant. Quae vero sequebatur, caedem describere, quum non sit hujus

(1) Supra pag. 34.

loci, Olai M. (1), testis oculati, verba referre sufficiat: » *Longa et terribilis per me*, sic ille, *tanquam singula lachrymose videntem*, *texenda foret historia*, *si singulas hujus calamitatis partes enarrare vellem*, *quomodo videlicet divina et humana confundebantur*, *nulla promissae fidei ratio*, *nullus religioni respectus*, *omnia temeritate sacrilega agitabantur*, *ubique gemitus*, *ubique caedes*, *ubique mors*, *nullibi concessum effugere*, *vivere inter districtos gladios et efferos homines impossibile. Servabatur vigilantissimo custode civitas*, *ne quis ex eo communi omnium civium carcere erumpat*, *ut regni incolis patratae crudelitatis seriem denuntiet*, *quam si libera populi multitudo subito persensisset*, *nihil commissi facinoris inultum remansisset.*

Fama tamen caeteris regni incolis tyranni crudelitatem nuntiabat, nec inulti jacebant, quos interimi hic jusserat. In septentrionalibus enim Sueciae tractibus juvenis oberrabat, patriam tyrannide liberare meditans, Gustavus; qui, postquam frustra alios sibi socios jungere conatus fuerat, tandem ad illam aufugit gentem, quacum olim, regnante Erico Pomerano, Engelbrecht Danorum regum tyrannidi se opposuerat et patriam liberaverat (1433): Dalecarliae incolas dico. Qui, audita de caede Holmiensi fama, ducem elegerunt Gustavum et ad liberandam patriam arma ceperunt. *Asperi homines et montani*, *exercitati in armis; gladium et aratrum*, *bellum et pacem*, *mortem et vitam in equo ponentes* (2). Quid multa? cum

(1) L. c. Lib. VIII, c. 39. (2) Sunt Johannis M. verba (Olai M. *Hist.* Lib. I, c. 2, p. 6.)

hac gente bellum Danis intulit et tam fortiter pugnavit Gustavus, ut, post paucos tantummodo annos, in comitiis Strengnesensibus Sueciae rex eligeretur (1). Cujus vero temporis historiam, cum ad propositum nostrum non pertineat, praeterimus, hoc tantum animadvertentes, Gustavum, dum pro patriae libertate pugnaret, saepius expertum esse, quantopere apud Trollium caeterosque Clericos vigerent studia, patriae saluti contraria. Hoc quam egregie valuerit ad magis magisque incitandum Gustavum, qui postea Clericorum auctoritatem frangeret (2), nemo est, qui non intelligat.

Gustavi cum Olao et Laurentio Petri, uti et Laurentio Andreae, commercium.

Jam vero, postquam ad illam Gustavi vitae partem pervenimus, qua una cum regno reformationis partes suscepit (3), illius institutionem absolutam diceremus, nisi nos admoneret experientia, hominum institutionem per omnem vitam progredi. Quod, ut in singulorum historia elucet, ita inprimis apparet e Reformatorum, qui vulgo dicuntur, fatis. Hi enim plerumque non ni-

---

(1) v. Dalin T. III, c. 2, § 10.

(2) Exempla exstant apud v. Dalin, l. c. c. 1, § 15, 20 alibi. Olaus Celsius T. I, p. 114. Strinnholm T. II, p. 45. Frijxell p. 23 alibi.

(3) Ipse, in Epist. ad Lutherum (1540) data, scripsit: *Wir seynd bald vom anfang unsers Königlichen Regementz dem wahren und laudtern Gottz wordt (so viel uns von Gott gnad und verstand darzu verliehen) anhängig gewesen.*

si sensim paulatimque ad meliores de rebus divinis notiones pervenerunt; imo vero, quam aliquando propugnarunt doctrinam, hanc multis deinceps nominibus in illorum scriptis mutatam reperimus. Quin autem, plura deinceps etiam fuerint, quae ad Gustavum informandum valuerunt, dubitandum non est. Eo enim valuisse epistolarum cum Luthero aliisque, meliora videntibus, commercium, S. Cod. studium, disputationes de religione vere christiana catholicos inter et evangelicos, et quae sunt hujusmodi alia, facile patet. Quae tamen missa facimus, quandoquidem Gustavi institutio eatenus absoluta dici potest, quatenus illa effecerit, ut rerum sacrarum emendationem desideraverit illamque inceperit. Idem tamen, quum multa debuerit triumviris: *Olao* et *Laurentio Petri*, uti et *Laurentio Andreae*, hos saltem viros cognoscamus par est (1).

Itaque *Olaus* et *Laurentius Petri*, Oerebroae in Nericia nati, primam obtinuerant institutionem in monasterio Carmelitarum Oerebroensi. Romam vero deinceps ut instituerentur profecturis, ita arridebat Academiae Vitenbergensis fama (2), ut consilium mutarent et

(1) Conferri possunt Strinnholm T. I, p. 392. v. Geijer, T. II, p. 48. Gerdes, *Hist. Reform.* T. III, p. 286. Olaus Celsius T. I, p. 204. Frijxell c. 21. Hallman, opusc. laud.

(2) Hallmam quidem aliique scriptores Suecici obtrudere nobis conantur, Lutheri indulgentiarum nundinationi publice resistentis famam juvenes ad se allexisse, sed quantopere a veritate absit haec opinio adversus Schinmeijer monuit Schröck, *Chr. Kirchengeschichte s. d. Reformation*, T. II, p. 18.

hanc Academiam adirent. In qua ea versati sunt assiduitate, ut non tantum A°. 1518 Magistri dicerentur; verum etiam Lutheri et Melanchthonis amicitiam demeruerint. In patriam deinceps reduces juvenes, qui, ut de Olao testatur Bzovius (1), Vitenbergae Lutheri impietatem imbiberant, Antonello, Arcimboldi fratri, indulgentias in Gothlandia nundinanti, se opposuere; et post alios ad emendandas res sacras conatus, in aede S. Strengnesensi (1523) publicis orationibus docuere: e S. Cod. probari non posse, Annam Mariae fuisse matrem (2), Monachos mendicantes haud esse admittendos; Sanctorum adorationem, vitam monasticam, confessionem auricularem divina auctoritate minime niti; verbo, doctrinam Christi magnopere esse depravatam atque adeo emendatione Ecclesiam indigere. Brevi ad regem, comitiorum opportunitate in hac urbe degentem, Reformatorum conatuum fama pervenit. Qui coram se juvenes arcessivit, una cum *Laurentio Andreae*, Archi-diacono Strengnesensi, qui, post mortem Matthiae Gregorson, Episcopi Strengnesensi, Episcopatum administrans, novae doctrinae assecla factus fuerat. Coram rege se sistunt, et, qua valebat, eloquentia, Laurentius Andreae non solum defendebat il-

---

(1) In *Annal. Eccl. post Baronium* T. XIX, p. 490.

(2) Arctissime enim hoc cohaerebat cum festi, in honorem S^tae^ Annae, celebratione. Etenim, in concilio Arbogensi (1412) Clerici Suecici decreverant, Annae memoriam per universum regnum esse celebrandam, quod decretum in consilio Arbogensi (1417) renovaverant. Imo vero, A°. 1436, festum in honorem S^tae^ Annae celebrandum, in concilio Södercopiensi, in festis majoribus relatum fuerat. Lagerbring T. IV, c. 6, § 3, 5 et 18.

lorum agendi rationem; verum etiam novam doctrinam ejusque fundamentum regi explicuit. Prae caeteris autem de artibus egit, quibus Pontifices Rom. homines obcaecaverant; deque Clericorum et auctoritate et divitiis; deinde vero patriae conditionem miserrimam depinxit et hinc quam utilis non modo, sed etiam, quam esset necessaria rerum sacrarum emendatio, urgebat. Quae omnia, quam egregie Gustavo placuerint, inde luculenter apparet, quod promiserit se reformatoribus in opere suscepto fauturum esse.

Quodsi vero ea, quae, duce historia, de Gustavi diximus institutione perpendamus, quis est, qui non intelligat, plane aliter hanc fuisse comparatam, quam qua Reformatores, qui vulgo dicuntur, plerique gavisi sunt. Dum enim in horum institutione praecipuum obtinuerunt locum literarum Hebraicarum Graecarumque studium et, quae cum hoc arctissime est conjuncta, S. Cod. notitia, in Gustavi institutione haud idem obtinuit. Etiamsi enim dubitari nequeat, quin Gustavus aliquam certe S. C. contraxerit cognitionem, vel sic tamen politica potissimum institutione gavisus est. Quod cum ita sit, ea inprimis ipsius institutionis vis erat, ut intelligeret quantopere patriae saluti obessent Clerici et quam necessarium esset, illorum et auctoritatem et divitias diminuere. Quum vero hoc meditaretur, viri nonnulli, doctrina sua ad emendandas, quae hoc tempore vigebant, de religione, notiones aptiores, ipsi explicuerunt, quantopere Clericorum et auctoritas et divitiae abessent a simplicitate, qua olim cernebantur evangelii nuntii et quanta laude dignus dicendus es-

set, qui ad vitae integritatem illos adduceret. Nec dubitavit igitur, quin hoc ipse efficeret; doctrinae emendationem, maximam saltem partem, Olao ejusque sociis relinquens, ita tamen ut horum etiam in reformanda Ecclesia dux exstiterit.

Quantopere vero tota Gustavi institutio eo contulerit, ut ipsum redderet, qualem postea sese praestitit, aptum ad Ecclesiam instaurandam, facile patet. Primum enim et historiae studio et temporis, quo vivebat, ratione, odio erga Clericos imbuebatur, quippe qui patriae saluti, quam vehementer desiderabat adolescens, infensi saepissime fuerant et etiamnunc erant. In Daniam autem deinceps abductus et hinc Lubecam aufugiens, cognovit, quam Lutherus explicuerat, miserrimam Ecclesiae conditionem, quin imo rationem cognovit, qua illam emendare hic conatus fuerat. Postquam vero in patriam redierat, notiones, quas inde a pueritia contraxerat, confirmabantur et augebantur. Quibus si addamus Gustavi, quae laudantur, perspicaciam et acre judicium, prudentiam et tenacitatem, pietatem, doctrinam et eloquentiam et fortitudinem et regnandi artem, maxima sane quaeque ab ipso perfectum iri suspicamur.

CAPUT II.

GUSTAVI, AD EMENDANDAM ECCLESIAM SUECICAM, CONATUS.

AB ANNO 1523 AD ANNUM 1527.



Gustavi a puero inde ad annum usque aetatis vicesimum septimum, institutionem animadvertentes, magna ab illo peractum iri suspicabamur; quod quo jure fecerimus disquisitio ulterior docebit. Jam enim nobis enarranda sunt ea, quae tentavit ad emendandam Ecclesiam Suecicam. In quibus exponendis progredimur hoc capite ad tempus, quo publica Senatus auctoritate, in comitiis Arosiensibus, constituta fuit Reformatio. Quae quidem disquisitionis pars, etsi breve tantummodo tempus, quatuor nimirum annos, complectatur, plurima tamen eaque summi momenti a Gustavo gesta exhibet, quum iis effectum fuerit, ut sub fine hujus periodi Reformatio in Suecia agnita fuerit. Haec autem res, quantopere digna sit quam attendamus, unicuique in oculos incurret, qui cum exiguo hoc temporis spatio, immensum tempus

comparaverit, per quod idem illud in Germania aliisque Europae regionibus, Lutherus aliique effecerunt. At vero haec hactenus.

Gustavus rerum sacrarum emendationem praeparare incipit.

Postquam Gustavus, ut supra monui, in comitiis Strengnesensibus (1523), imperium adeptus fuerat, rerum sacrarum instaurationem praeparare incepit. Facile enim intellexit, non uno temporis ictu exstirpari posse, quae in Suecia, hoc tempore, vigebant de religione notiones, nec alia, eaque meliora, derepente excitari posse studia. Uti alibi, ita in Suecia potissimum, causa Reformationis conjuncta erat cum rebus politicis; quod quidem vinculum arctissimum rite animadvertit Gustavus. Viderat acre, quod cum Ecclesiasticis Sturii gesserant bellum; quin imo ipse, in liberanda patria, Clericos hostes minime spernendos expertus fuerat. Verum enim vero rem perficere jussit patriae libertas. Quamdiu enim eadem, qua antea auctoritate valerent Clerici, tamdiu etiam ipsa Suecia validissimi aderant Danorum socii. Praeterea vero aerarium publicum, bello adversus Danos gesto, exhaustum erat ipsique Lubecensium legati, in comitiis Strengnesensibus petebant, ut sibi redderentur, quos, ad Sueciam liberandam fecerant sumtus. Quae ut Gustavum invitum fere coegerunt, ut sub initio regni quaedam in Ecclesia mutaret, ita tamen statuebat, prudenter hac in re esse versandum, aliam rerum conditionem quodammodo saltem praeparando. Unde factum

est, quod haud quidem dubitaverit Olao Petri ejusque sociis auxilium polliceri; simul tamen vetuerit, ne consilium suum in re tam periculosa aperte declararetur.

Porro vero ad praeparandam rerum sacrarum instaurationem hoc etiam contulit, quod regem se coronari nondum passus sit. Quippe Sueciae leges regibus, quum in eo essent, ut inaugurarentur, jusjurandum praescribebant, quo solenniter promittendum ipsis erat, se Clericorum jura et privilegia servaturos esse. Rem ita narrat Olaus M. (1): *sed inprimis sponte per sancta Dei Evangelia jurat et coram Deo et angelis ejus promittit, ut legem, justitiam, et pacem Ecclesiae Dei, populoque sibi subjecto cum observatione jurium et privilegiorum, ac omnium bonorum custodiat.* Et revera jussit Sueciae lex, ut, jurejurando interposito, rex promitteret: » sese conservaturum esse aedium sacrarum, clericorum et monasteriorum, equitum et armigerorum illorumque bonorum immunitatem, libertatem et privilegia antiqua" (2). Quodsi vero hoc jusjurandum Gustavus jurasset, Clericis justam deinceps querendi ansam praebuisset, cum antiqua illa abolere aggrederetur. Quam vero querendi opportunitatem, inaugurationis solennitate procrastinata, iis prae-

(1) *Hist.* Lib. XIV, c. 6.

(2) Ipsius legis verba haec erant: *att Konungar skal Kirkjom, Klärkom och Klostrom, Riddarom ock Svenom och hvars thera Hjonom Gotzom aff alt gammalt Frälse frihet och Privilegia hålda.* Botin T. II, p. 94. Strinnholm T. II, p. 169, 355.

ripuit. Narrat quidem v. Dalin (1) Gustavum solitum Senatui dedisse jusjurandum, sed quominus hac in re fidem ipsi habeamus haec impediunt, quod nec indicet, undenam hanc relationem hauserit, neque explicet, quam tandem ob causam rex jusjurandum repetierit, quum A°. 1528 rex coronaretur; quibus praeterea hoc addendum est, quod Sueci nunquam questi sint de neglecto jurejurando, cum, moleste illos tulisse jurisjurandi formulae mutationem, ex illorum hac de re querelis facile appareat.

Sed et alia ad praeparandam rerum sacrarum emendationem perfecit Gustavus. Scilicet Laurentium Andreae, Olaum et Laurentium Petri iis praefecit muneribus, quibus, singuli pro doctrina sua et indole, Reformationem egregie adjuvare possent. Etenim Laurentium Andreae, quem de rebus, cum ecclesiasticis, tum vero etiam politicis, disserentem audiverat, Cancellarium suum dixit. Interea vero Lutherum de discipulorum conatibus certiorem fecerat, illumque, cum de fratrum et doctrina et moribus, tum de optimo reformandi modo interrogaverat. Accepta deinceps a Luthero epistola, qua regi hic persuadebat, ut in emendanda Ecclesia Laurentii et Olai uteretur auxilio, alterum Theologiae Professorem creavit in Academia Upsaliensi, alterum vero Holmiam evocavit, ut in hac urbe emendatam doctrinam propagaret. Quae omnia, quantopere ad felicem praeparandum Reformationis successum conferre potuerint, paucis exponamus.

Nimirum Laurentius Andreae, vir patriae amore

(1) L. c. T. III, P. I, c. 2, § 10.

flagrans, praeterea vero rerum politicarum cognitione et eloquentia conspicuus, ad munus vocabatur, quo in regis aula inque comitiis coram nobilioribus Reformationem propugnandi opportunitatem nactus est, qua quam egregie usus sit, docet illius in comitiis Arosiensibus sermo (1). Laurentius Petri, mitis ille et doctus, e regis voluntate juvenum instituendorum curam suscepit, quam ad rem quam aptus esset, satis superque probant ejus scripta (2), quorum utrum summam, quam referunt, doctrinam, an vero pios, quos spirant, sensus et verborum dilectum magis admireris, facile dubius haereas. Olaus, Lutheri ad instar, vehemens, eloquentia prae fratre excellens, nec doctrinae copia destitutus, locum obtinuit, quo coram tumultuosa plebe superstitioni resistere et Reformationem defendere potuit. Ne tamen ex Olai vehementia damnum opus susceptum caperet, collegam ipsi adjunxit rex, Michaëlem Langerben, qui lenitate sua illius vehementiam temperaret (3).

Ad eadem Gustavi conamina referendum est, quod, eodem hoc tempore, Martinum Skytte, Dominicanorum

---

(1) Gerdes, l. c. p. 307.

(2) Laurentii scripta recensentur apud Hallman l. c. p. 87. Qui autem haec scripta adeundi opportunitate destitutus sit, viri illústris et doctrinam et pietatem et scribendi rationem, quodammodo saltem, cognoscere poterit ex ejus: *Admonitione ad preces publicas et poenitentiam*, quae exstat apud Gerdesium in *Monumentis*, operi suo adjunctis, N. XXIII, nec vero minus e: *Commonefactionibus utilibus*, *Clero Dioec. Ups. in Synodo. A°. 1566 Upsaliae celebrata*, *propositis* a reverend. p. m. Laurentio Archi-Episcopo, ap. Münter *Magaz.* T. II, P. IV, p. 51.

(3) v. Dalin, l. c. c. 2, § 16. Strinnholm, l. c. p. 413.

Sigtunensium Praepositum, jusserit, monasteria omnia visitare, ut hac opportunitate in Monachorum inquireret sentiendi rationem, iisque proponeret officia, Deo regique praestanda. Quae res summi erat momenti, quandoquidem Reformatio, quam Gustavus meditabatur, monasteriorum etiam spectabat divitias monachorumque mores. Hi autem magna apud plebem ob vitam, sanctitatis speciem referentem, gaudebant auctoritate; iisque, regem haereticum clamantibus, fidem habuit plebs, adeo ut arma sumeret, cum ipsi annunciaretur, antiquam fidem mutari. Quod cum ita esset, maximi sane erat momenti Monachos, quoad posset, sibi devincire. Idem autem ut rite efficeret, Martinum ad illos dimisit, qui quam muneri gravissimo aptus esset, inde apparet, quod ab eo tempore, quo Vitenbergae emendatam doctrinam cognoverat, clam ipsi adhaeserat, dum Monachi, minime hoc suspicantes, ob eximiam, qua instructus erat doctrinam, maximi illum fecerunt. Unde factum est, quod multi ipsi consenserint, quum in illorum animis studia excitare conaretur, quae ad amplectendas Reformationis partes faciles illos redderent. Sed ut alios prudentia sua ad recipiendam Reformationem propensiores reddidit Gustavus, ita severitate sua impedivit, quominus alii efficerent, ut pulcherrimum propositum prospero careret successu. Scilicet nonnulli erant, in his Dominicani et quidem prae caeteris Robertus, Abbas Monasterii Arosiensis, quos ad seditionem propensos invenit Martinus. Quo audito, Gustavus Robertum munere privavit et Nicolaum Andreae in ejus locum substituit, imo vero in exsilium Dominicanos nonnullos ejecit. Qua agendi ratione vi-

rum non modo punivit, qui saepius jam seditionis semina sparserat; verum etiam cunctis declaravit, qua esset audacia, quum primo regni anno rebus ecclesiasticis se immisceret, Monachos refragantes, etsi Pont. Rom. benevolentia aeque ac Laicorum reverentia gaudentes, reprehendens et puniens. At vero majorem ad praeparandam Reformationem vim Gustavi agendi rationi tribueremus, si nobis persuadere potuissemus, veram esse nonnullorum scriptorum Suecorum (1) relationem, narrantium: Gustavum Dominicanos omnes jussisse, ut intra certum temporis spatium Sueciam relinquerent. Quum vero, ipsum regis decretum afferendo, sententiam suam haud comprobarint, quumque praeterea hujusmodi decreto obesse non tantum videatur Nicolai ad abbatis munus electio; verum etiam Dominicanorum, quae deinceps injicitur, mentio, huic relationi fides haud temere habenda videtur. Arridebat quidem primo obtutu Dalinii (2) narratio, qua Gustavus Dominicanis exsilium comminatus esset, sed quum Olaus Celsius (3), cujus verba citat, prorsus alia narrat, Wagnerum (4) potius secuti sumus, narrantem: Gustavum jussisse, ut omnes Dominicani, quotquot e Suecia haud essent oriundi, hanc regionem relinquerent.

Quidquid vero est, egregie cuncta haec valuerunt ad praeparandos cujuscunque generis homines, ut amice deinceps Reformationem reciperent. Meliores enim

---

(1) Olaus Celsius T. I, p. 219. Strinnholm, l. c. p. 410. (2) l. c. (3) l. c.

(4) D. E. Wagner in *Allgemeine Weltgeschichte* von Guthrie, Gray etc. Leipzig 1781. T. XVI, P. IV, p. 23.

excitabantur notiones et inter nobiliores et inter plebem et inter futuros Clericos et inter Monachos. Quod, licet deinceps etiam fecerit rex, ab hoc tamen inde tempore res sacras emendare incepit.

Gustavus Clericorum privilegia tollere incepit.

Sic quidem sensim paulatimque processisset Gustavus in praeparanda Ecclesiae Suecicae Reformatione et promovendis conatibus ipsorum Theologorum, qui emendatam doctrinam commendabant, nisi politicae causae eum invitum fere coegissent, ad ipsam Reformationem instituendam accedere. Rerum enim politicarum conditio eum coegit fere Clericorum privilegia tollere, atque adeo praecipuum tollere impedimentum, quod Reformationi plerumque obstabat.

Privilegiis enim gaudebant Clerici immunitatis a solvendis tributis et a respondendo coram judicibus civilibus. Quorum prius primum ipsis concesserat *Swerker Carlson* (1200), qui omnes Ecclesiae terras et possessiones immunes declaravit ab omni cujuscunque generis tributo (1). Hoc autem privilegium a variis deinceps regibus repetitum fuit et confirmatum. Nomina recensere sufficiat: *Johan Swerkerson* (1219) (2), *Erik Erikson* (1235) (3), *Magnus Bir-*

(1) Lagerhring T. II, c. 12, § 2; v. Dalin T. II, c. 6, § 2; Botin T. II, p. 90.
(2) Lagerbring, l. c, § 18; v. Dalin, l. c. § 15; Botin, l. c.
(3) Lagerbring, l. c. § 31; v. Dalin, l. c. c. 7, § 5; Botin, l. c.

gerson (1281) (1), *Birger Månson* (1305) (2), *Magnus Erikson* (1340) (3), *Albrecht* (1375 et 1380) (4), *Ericus Pomeranus* (1436) (5), *Christoffer* (1441) (6), *Christianus* (1457 et 1458) (7), *Johannes* (1483) (8). Sed vel sic tamen fuerunt regni gubernatores, qui hanc immunitatem minime agnoscerent, ut facile apparet e nonnullorum Pont. Rom. bullis, quibus hac de re querebantur, e. g. *Honorii III* (1225) (9), *Gregorii X* (1274) (10) et *Bonifacii VIII* (1292, s. 1294) (11). Quidquid vero hi obloquebantur, illorum conatus ita effectu carebant, ut, Gustavi tempore, Clerici revera ab omni tributo immunes essent. Quodsi autem in communem salutem quid conferrent, *donum charitativum* dicere illud solebant (12).

Ab ejusdem etiam Swerkeri tempore, venia Clericis data fuerat, facinorum rationes reddendi judicibus ecclesiasticis. Quam tamen Ecclesiasticorum a judicio

---

(1) Lagerbring, l. c. c. 16, § 6; Botin, l. c. p. 91; v. Dalin, l. c. c. 8, § 3.
(2) Lagerbring, l. c. T. III, c. 1, § 14; Botin, l. c.
(3) Lagerbring, l. c. c. 3, § 24; v. Dalin, l. c. c. 11, § 21.
(4) Lagerbring, l. c. c. 9, § 2. Botin, l. c. p. 92.
(5) v. Dalin l. c. c. 16, § 27; Botin, l. c. p. 93.
(6) Lagerbring, l. c. T. IV, c. 7, § 5; v. Dalin, l. c. c. 17, § 4.
(7) v. Dalin, l. c. c. 18, § 3; Botin, l. c.
(8) v. Dalin, l. c. c. 19, § 5; Botin, l. c.
(9) Botin, l. c. p. 90.
(10) Lagerbring, l. c. T. II, c. 16, § 6; Botin, l. c. p. 91.
(11) Lagerbring, l. c. c. 17, § 2.
(12) Strinnholm, l. c. T. II, p. 560.

civili immunitatem non semper fuisse agnitam, non tantum apparet ex agendi ratione Senatus, Trollium judicantis et condemnantis, cujus rei supra (1) mentionem feci; verum idem apparet e Pontificum Rom. nonnullorum querelis. Alios ut taceamus, queritur Innocentius III (1216): *quod quidem Laici de regni Suethiae in viros ecclesiasticos dampnabilem insolentiam exerceant, cum ipsi eorum subire judicium et secundum voluntatem eorum ecclesias recipere et dimittere* (cogantur) (2). Eandem, ne Honorium III (3) memoremus, Gregorius X repetiit querelam, quum in bulla, ad Ducem, Legiferos, Prolocutores aliosque nobiles data, scriberet: *Compellitis insuper Vos ... Clericos etiam invitos vestrum subire judicium in civilibus causis* (4). Sed vel sic tamen Clerici Suecici, Gustavi etiam tempore, jus illud jactarunt et tenaciter propugnarunt, ut coram regni Senatu aliquando expressit Archiepiscopus Jacobus Ulfson: » quicunque, inquit, Sueciae regnum adipiscatur, nec meus futurus est judex et gubernator nec etiam caeterorum, qui hic adsunt, ecclesiasticorum" (5).

Ex hisce igitur satis superque patet horum privilegiorum, etsi non semper agnita fuissent, abolitionem ma-

(1) Supra p. 34.
(2) Lagerbring, l. c. T. II, c. 14, § 6, not. 5.
(3) Lagerbring, l. c. not. 6.
(4) Lagerbring, l. c. c. 16, § 6, not. 1.
(5) Strinnholm, l. c. T. I, p. 35. Perhibuit Jacobus: *att den som varder Konung öfver Sverige, han varder icke min domare eller min rättare, och icke heller öfver desse andre värdige fäder; utan han varder eder domare och rättare.*

xima laborasse difficultate. Et fortasse Gustavus, pro prudentia sua, hanc pedetentim praeparasset, nisi ipsa rerum politicarum conditio ipsum coegisset ad illa derepente tollenda.

Etenim, ut verbo monui, in ipsis, quo rex eligebatur Gustavus, comitiis Strengnesensibus legati Lubecenses petierunt, ut ipsis restituerentur, quos in Suecorum adversus Danos auxilium fecerant sumtus. Accessit, quod cohortes auxiliares flagitarent stipendium. Quum vero aerarium publicum recentissimis bellis exhaustum esset, alia ad placandos creditores non patebat via, nisi ea, quam ut ingredirentur regni Senatoribus persuasit Gustavus. Quocirca concesserunt, ut ab omnibus Sueciae incolis, Clericis haud exceptis, tributum rex exigeret. Cujusmodi tributum non modo antiqua sustulit privilegia, verum etiam jurijurando oberat, quod Episcopi Suecici Pontifici Romano dare solebant. Jurarunt enim: *possessiones vero, ad mensam meam pertinentes, non vendam, neque donabo, neque inpignerabo, neque de novo infendabo vel aliquo modo abalienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice* (1).

Unde factum est, quod in Suecia, aeque ac in aliis Europae regionibus, una cum Reformatione, inceperit Clericorum oppositio. Etenim *Johannes Brask* (2), Episcopus hoc tempore Lincopiensis, Gustavo Clericorum a solvendis tributis immunitatem haud agnos-

---

(1) Botin, l. c. p. 103, not 8.

(2) De hoc viro conferri potest Thomaeus, l. c. p. 134.

centi, se opposuit. » In caeteris omnibus," inquit, » nequaquam se dubitaturum esse, quin regi obediret; verum sacras Ecclesiae possessiones diminuere ipsi non licere". Rex autem, propositi tenax, at vero prudens etiam, primum ad Episcopum epistolam dedit, reverentiam erga illum spirantem (1), cui cum nondum hic obedire vellet, Gustavus indignabundus aliam ad illum dimisit epistolam, illamque minis repletam. Inter alia haec scripsit: » Uniuscujusque probi hominis jubet conscientia, ut, in rebus angustis, ubi tam gravi onere patria premitur, cuncti illud tollant, sive monasteria sint et aedes sacrae, sive monachi et sacerdotes, inprimis vero ubi ceteroquin vires deficiunt" (2). Vel sic tamen in hac epistola, aeque ac in responsis ad caeterorum Clericorum querelas, ita rem rex proposuit, ut e necessitate magis, quam e voluntate sua, orta videretur (3).

Etiamsi vero Gustavus summa prudentia res sacras instaurare inciperet, brevi tamen omnem Clerici in ejus perniciem pararunt conatum. Nova autem oppositio conamina ad reformandam Ecclesiam peperit nova.

---

(1) Honorifico titulo illum dixit: *Nådige Herre* Olaus Celsius, l. c T. I, p. 220. Frijxell, l. c. p. 64.

(2) *Det säger hvarjom enom redeligom man hans samvet, at i nöden der riket sådana tungi påhänger, bör ju alle drage tungen, ehoad det är kyrker, klöster, munker eller prester, besynnerlige der icke anners vill tillräcke.* v. Geijer, l. c. p. 52, not. 8.

(3) *Loquutus sum* (ita Johannis M. ad Brask) *majestate suae de gravamine ecclesiarum etc. respondit profusis lachrymis, quod nulli mortalium plus displicere possit eadem exactio, quam sibi et quod eam necessitas et nulla voluntas majestatis suae imperaret.* v. Geijer l. c.

Quam ob rem Gustavus Clericis, antiqua jura et privilegia ab ipsius conaminibus integra servare conantibus, alia post alia eripuit. Eodem modo in Germania aliquando Romano - catholicae fidei propugnatores, summa tenacitate defendentes, quae, ratione temporis habita, defendi non potuerunt, effecerunt, ut Lutherus illa etiam aggrederetur, quae antea haud attigerat (1). Res in Suecia non aliter se habuit, quum Petrus Sunnanväder, Episcopus Arosiensis, antiquorum privilegiorum abolitionem aegre ferens, Dalecarliae inprimis incolas sollicitavisset. Postquam enim Gustavus de re certior factus fuerat, Arosiam proficiscebatur, ibique in capitulo Episcopum proditionis accusavit. Tum vero eundem, criminis reum factum, munere suo privavit. Cujus defensionem quum Archi - episcopus susciperet, provocans ad Jus Canonicum, quo judicibus saecularibus interdictum erat de Clericis judicium ferre, rex proditionis reum censens quicunque proditorem defenderet (2), eadem sorte impertitus est Archi - Episcopum, qua Sunneväder damnaverat. Nec Gustavus hic substitit. Clericorum a judicio civili immunitatem facto sustulerat, nunc vero eo processit, ut Canonicos juberet, se praesente, alium eligere Episcopum; illisque, ob defectum virorum dignitate episcopali aptorum, tergiversantibus proposuit Petrum Magni, monachum Vadstenensem. Holmiam vero dein-

---

(1) J. H. Merle d'Aubigné, *Hist. de la Reformation du seizième siècle.* T. I, p. 395. II, p. 27.

(2) Etenim dixit: *att den, som wille hjelpa öfwerbewista förrädare, måtte sjelf wara en förrädare.* Frijxell, l. c. p. 65.

ceps progressus, Canonicos Upsalienses eo evocavit, illisque persuasit, ut Archi-Episcopum eligerent Johannem M., Pontificis Romani hoc tempore ad Suecos legatum. Quae sane electio prorsus differebat ab electionis modo, qui adhuc in Suecia obtinuerat. Etsi enim primis Religionis Christianae in Suecia receptae temporibus, Episcopi eligerentur a regibus, consentiente populo (1), sensim tamen sensimque, uti alibi, sic etiam in Suecia, aliam inducere rationem Pontifices Rom. conati fuere. Quod apparet ex Innocentii III bulla ad Andream, Archi-episcopum Lundensem, data (1207), qua Valerium dicit: *personam satis idoneam et Cleri electione, Regis consensu et populi petitione vocatam.* Deinceps vero regis consensum et populi petitionem haud esse agnoscenda statuit Innocentius IV (2). *Lecta nobis ex parte Venerabilium fratrum nostrorum, Archi-Episcopi Ups. et suffraganeorum, et dilectorum filiorum totius regni Suecie Cleri peticio continebat; quod cum dudum in regno Suetie quedam consuetudo, que corruptela dicenda est verius inolevit, videlicet ut cathedralibus Ecclesiis ipsius regni non preficerentur aliqui, nisi quos in eis institui, vel destitui pocius per seculares potestatis potenciam, Regis scilicet et Baronum nec non et ad clamorem tumultuantis populi regni predicti, contra sacrorum statuta canonum contingebat, Venerabilis frater noster Sabinensis Episcopus, tunc in partibus illis Apostolicae sedis legatus, tam detestande presumcionis abusum diligenter atten-*

(1) Lagerbring, l. c. T. II, c. 10, § 3.

(2) Bulla, ad Archi-Episc. Lundensem data, exstat apud Münter, *Magazin*, T. I, P. II, p. 198.

dens... statuit, ut in singulis Ecclesiarum ipsarum, in quibus adhuc capitula nulla erant, unus Praelatus idoneus et ad minus quinque canonici habeantur, per quos eisdem Ecclesiis, pro tempore vocaturis, posset de futuro Episcopo per eleccionem Canonicam provideri. Nos igitur ... statuimus, ne quis de cetero in aliqua ecclesiarum ipsarum in Archi-Episcopum vel Episcopum per abusum hujusmodi prefici debeat, sed ille preficiatur, quem ejusdem ecclesiae capitulum, vel ejusdem major et sanior pars, forma servata canonica sibi duxerit eligendum etc. Frustra ab hoc inde tempore reges consensui suo aliquam certe vim vindicare conabantur. Eo enim, saec. XV, res pervenerat, ut *Knut*, Episcopus Lincopiensis, et *Thomas*, Episcopus Strengnesensis, in Epistola ad concilium Basiliense, testarentur (1): *Ceterum Ecclesia regni Sueciae habet... speciale privilegium summorum Pontificum nec non et longaevam consuetudinem super libera electione Archi-episcopi et Episcoporum sine omni requisitione, vocatione, consensu, consilio vel licentia regis pro tempore vel alterius cujuscunque.*

Ut igitur Gustavus, Episcoporum se immiscens electioni, magnam Ecclesiasticorum auctoritati inferebat cladem, ita praeterea ad majora viam sibi paravit. Curaverat enim, ut viris, Hierarchiae vindicibus, istiusmodi substituerentur homines, quales haud ita vehementer rerum sacrarum instaurationi se essent oppposituri. Nam Petrus Magni, etsi Hierarchiae addictus, sensit tamen Ecclesiam esse depravatam illamque Re-

(1) Lagerbring, l. c. T. IV, c 5, § 3.

formatione indigere (1). Nec igitur caeco in Lutheri ad reformandam Ecclesiam conatus irruebat impetu (2); contra vero deinceps comitiorum Arosiensium et concilii Oerebroensis decretis subscripsit et ecclesiasticos suffraganeos monuit, his decretis obedire (3).

Johannes M. vero, etsi sincere Hierarchiae adhaereret, patriae tamen amore flagrabat et hinc Gustavum, patriae liberatorem maximi fecit. Praeterea vero ea destitutus erat fortitudine eaque solertia, quibus opus ipsi fuisset ad felicem contra Reformationem pugnam (4).

Quibus omnibus accessit, quod Gustavi agendi ratio metum injecerit Clericorum animis; adeo ut Braskius, qui, ceteroquin impavidus, Hierarchiae partes fortiter propugnavit, quique tandem aufugere maluit, quam rerum conditionem novam ratam habere, affirmaverit: » se malle mori, quam in Gustavi incurrere odium" (5).

---

(1) Fertur hanc ejus de indulgentiarum nundinatione fuisse sententiam, quod non satis certis niteretur argumentis, vel, ut ajebat: *at det war bÿgdt på en lösjordad grund.* v. Dalin l. c. T. III, c. 2, § 15, not. q.

(2) Pateat hoc ex ejus de Theologo quodam testimonio, qui, jubente Pont. Rom., librum conscripserat, Lutheri doctrinam reprehendentem: *der hantänkte lösa lÿckona*, inquit, *gjorde han knuten.* v. Dalin, l. c.

(3) Gerdes l. c. p. 313 et Monumentorum operi adjunctorum N°. XXII.

(4) Strinholm, l. c. T. II. p. 406. Thomaeus, l. c. p. 217.

(5) In Epistola ad Ture Jönsson scripsit: *att han häldre wille wara död, än falla uti hans Nådes owilja.* v. Dalin, l. c. § 16. Frijxell, l. c. p 66.

Gustavus cum Pont. Rom. litigans.

In Germania vix Lutherus indulgentiarum nundinationis abusui se opposuerat, quin Pont. Rom. litibus, hac de re ortis, se immisceret. Verum idem Pontifex, qui monachum Rômam evocaverat, Sueciae regem frustra arcessivisset. Evanuerat enim illud tempus, quo Italiam proficiscebantur regnorum gubernatores, Pontificum gratiam secuturi. Vix dum audita in Europa fuerant Philippi Pulchi verba: *sciat maxima tua fatuitas, nos in temporalibus alicui non subesse .... secus autem credentes fatuos et dementes reputamus*, non dubitaverant reges principesque Pontificum voluntatem spernere. Quapropter mirum nobis non accidit, Gustavum etiam negasse, *se in spiritualibus et in temporalibus Pontifici Romano subesse* (1). Nimirum, electo Johanne M., Gustavus ipsius examini judicium submisit, quod olim de Trollio tulerat regni Senatus. Qui quum Trollium reum dixisset, Romam proficisci voluit, hujus judicii confirmationem petiturus. Rex autem muneri gravissimo nullum, hoc tempore, Johanne aptiorem inveniens, a proposito illum avertit, Romamque dimisit Olaum M., Johannis fratrem, simul ad Pontificem datis epistolis, quibus promisit: » sese suppressurum haereticas doctrinas, quae Ecclesiam Christianam dilacerabant et operam se daturum, ut converterentur haeretici Moscovitae et ethnici Lappones; imo vero auxilium se Pontifici praestiturum in bello adversus Turcas. Porro vero a Pont. rogavit, ut Episcoporum electionem

(1) Sunt Bonifacii VIII ad Philippum Pulchrum verba.

confirmaret, et, conditionem Sueciae miseram attendens, ignosceret, quod solita, pro pallio pecuniae summa non solveretur" (1). E qua epistola ut apparet, Gustavum non derepente obedientiae, Pont. Rom. praestandae, renuntiasse, ita ex eadem patet etiam, hoc nequaquam eo valuisse, ut ipsi iis in rebus obtemperaret, quae patriae saluti non convenirent. Quod primum quidem prudenter palam fecit; verum deinceps diserte declaravit, quum Adrianus VI, qui hoc tempore sedem papalem tenuit, ipsum jussisset, Trollium in dignitatem restituere. Tum enim non obedivit Gustavus. Respondit adeo : » idem se hoc ducere acsi Pontifex Romanus jussisset de novo pacem rumpere, quam et Ecclesia et patria gravissimis pugnis sibi comparaverant. Magna quidem se erga Pontificem imbutum esse reverentia" affirmavit, » verum patriae salutem ita cordi ipsi esse," addidit, » ut omnes intendere vellet vires ad avertendam perniciem, quam etiamnunc meditabatur Gustavus Trolle" (2). Pugna sane primo obtutu inter utramque epistolam obtinere videtur. Quodsi autem rem accuratius attendamus, egregie inter se consentiunt. Nimirum Gustavus patriam e Danorum potestate eripuerat et fortitudinis praemium reportaverat, ut Sueciae rex crearetur. Ad hoc vero tempus Aristocratia in Suecia viguerat. Electo autem Gustavo, Monarchia condenda erant. Verum aristocratica studia nondum erant exstincta. Quin imo jura et privilegia antiqua ejusmodi erant, ut Monarchiam conde-

---

(1) Strinnholm, l. c. T. II, p. 408. Rühs, l. c. T. III, L. XI, § 214.

(2) Strinnholm, l. c. Rühs, l. c.

re, res esset difficillima. Quam ob rem Gustavus a condenda Monarchia abstinere debuisset, si jura ista et privilegia intacta relinquere voluisset. Haec autem quum tolleret, Ecclesiam ejusque ministros aggrediebatur. Primum quidem propositum suum assequi conatus est Pontificis Romani, quem reverebatur, assensu; sed quum hic etiam resisteret, obedientiae, ipsi debitae, renuntiare non dubitavit.

Idem aliquatenus, in Luthero animadvertere licet. Hic enim, etsi alia primum sibi proponeret quam Gustavus, vel sic tamen in eo cum Sueciae rege convenit, quod, consentiente Leone X, propositum suum assequi conaretur. Ecclesiae vitia emendare voluit, nec dubitavit (1) quin ipsi assentiretur Ecclesiae gubernator. Qui quum monachum ob audax propositum in haereticorum numerum referret, hic, bulla papali et Jure Canonico in flammas injectis, Pontificis auctoritatem se spernere declaravit.

Gustavus Episcopo Lincopiensi, Reformationi resistenti, se opponit.

Ea fuit rerum politicarum, cum ecclesiasticis arcte conjunctarum, conditio, ut sua sponte ulterius in dies procederet Gustavus. Qui enim ipsi Pont. Rom. sese opposuerat, hic Episcopos, Reformationem prohibentes, oppugnare haud reformidavit. Quo factum, ut interius Ecclesiam Suecicam emendare institueret. Cu-

(1) Epistola ad Pont. Rom. data A°. 1518 apud de Wette, *Luthers Briefe* etc. T. I, p. 119.

jus rei exemplum nobis praebet ipsius cum Braskio, Episcopo Lincopiensi, agendi ratio.

Hic enim, postquam frustra adhortatus fuerat Archi-Episcopum, ut doctrinas haereticas exstirparet, ipse Hierarchiam vindicare incepit. Verum quidquid moliretur, omnes ejus conatus irritos fecit Gustavus, sive prudentia sua, quaecunque Braskius meditaretur, mala, in Reformationis commodum converteret, sive etiam jubendo et interdicendo Episcopo resisteret. Quum igitur hic Pontificem Romanum certiorem fecisset de Ecclesiae Suecicae conditione, quumque Adrianus VI, illi morem gerens, legatum in Sueciam dimisisset Johannem M., Gustavus non tantum virum sibi devinxit, verum etiam illum, Romam iter meditantem, in Suecia retinuit, ne Romae fortasse Ecclesiae Suecicae conditionem atro colore depingeret. Tum vero Braskius, aliam viam tentans, ipsum regem epistola adiit, qua vehementer querebatur, quod, cum Lutheri scripta libere dispergerentur, imo vero a rege defenderentur illius discipuli, in dies haeretici sectatores in Suecia augerentur. Quam ob rem a Gustavo petiit, ut severo edicto horum scriptorum venditionem prohiberet, nec in posterum Lutheri discipulos defenderet. Respondit Gustavus: » se scriptorum Lutheri venditionem merito prohibere non posse, nisi ante ab aequis rei judicibus damnata essent, quod hucusque unice fecerant viri adversarii. Praeterea vero, una cum his scriptis, alia etiam in Sueciam induci in Lutherum polemica; quae ubi viri docti inter se contulissent, discernere possent, quid veritati obesset et argumentis haec oppugnare, quo magis appareret,

quam tandem ob causam hujusmodi scripta prohibenda essent. Caeterum ipsos haud ignorare, regis esse officium, ut vim et injustitiam a subditis omnibus avertat; quodsi vero vel ipse, vel alius quisquam, jure Lutheri discipulos vel quemcunque alium accusare de his, vel de aliis rebus, vellet, se neminem defensurum pollicebatur, ita ut rem suam quisque ageret" (1).

Braskius, regis responsum aegre ferens, non tantum per suam Dioecesin librorum haereticorum usum severe interdixit (2); verum etiam ex officina typographica Södercöpiensi multa evulgari scripta curavit, quae Luthero ejusque doctrinae essent opposita; in his Imperatoris Germaniae de Luthero ejusque doctrina

---

(1) Exstat haec Epistola apud Hallman, l. c. p. 24, et Strinnholm, l. c. p. 414. *At han icke*, respondit Gustavus, *kunde med skiäl thet giöra, allthenstand han icke hade förnummit samma Luthers böcker än wara ogillade af opartiska dommare, utan af hans wederparter allena, och ther utöfwer infördes så wäl the böcker, som emot Luther skrifna woro, som the han skrifwit hade, of hwilkas jämnförande förståndige och lärde män kunde finna hwad orätt woro, och ther emot med skiäl skrifwa, och tillkänna gifwa, för hwad orsak skull thesz böcker skulle förbjudas: men thet han begärade at Luthers Disciplar, i synnerhet Mäster Oluff, intet måtte hafwa beskydd hos Hans Kongl. May. t, så wiste han sjelfwe wäl, at Hans Kongl. May. t tilhörde, ut beskydde hwar och en afsina undersåtare, för öfwerwåld och oratt; dock om någon woro, then han eller någon annan wille tiltala med rätta i thenna eller andra saker, så wille Hans Kongl. May. t ingen förswara, utan låta then samma för sig sjelf tilbörligen swara*, etc. Dat. Calmar A°. 1524.

(2) Strinnholm, l. c. p. 417; Olaus Celsius, l. c. p. 260.

decreta (1). Gustavus autem post biennium (1927) officinam suppressit et tandem Braskium vetuit in posterum typis quid evulgare, nisi rex ratum illud habuisset (2).

Haec sane agendi ratio satis superque docere videtur, Gustavum in rerum sacrarum emendatione politicis studiis ductum fuisse, quippe quae effecerunt, ut, summam in res singulas auctoritatem inhians, Braskio interdiceret, quae interdicere se posse ante biennium negaverat. Quid? quod injuste egisse videtur, quum, quod in Lutheri doctrinae commodum admiserat, liberam de re gravissima disquisitionem interdiceret, ubi haec ad defendendam religionem receptam valere potuisset. Attamen epistolam, quam ad Braskium dedit, rite legentes, facile intelligimus, Gustavum affirmasse, jus ad prohibenda Lutheri scripta sibi non esse, quandoquidem nullus ad illum usque diem argumentis probaverat, ejusmodi illis contineri doctrinam, quae, utpote veritati opposita, prohibenda esset. Quum vero deinceps vetaret Episcopum, typis quid evulgare, nisi primum ipsius examini scripta sua submisisset, hujus rei causa in eo erat, quod Braskius, sive ipse deceptus esset, sive ut alios deciperet, talia sub imperatoris nomine ederet scripta, qualia revera ipsi tribuenda non erant. Rem plane dijudicare non possumus; sed in hanc sententiam rex disputavit, quum Braskio diceret: » Imperatorem numquam talia edidisse decreta, qualia ipsi obtrudere conatus fuerat,

(1) v. Dalin, l. c. T. III, P. I. c. 3, § 18.

(2) Strinnholm, l. c. p. 462; Olaus Celsius, l. c. p. 332; v. Geijer, l. c. p. 48, not 8.

sed haec profecta potius esse a viris partium studiosis, qui ita plebem simplicem et incallidam decipere et corrumpere voluere, quippe quae alia non intelligebat, quam quae hac ratione ipse obtruderentur" (1).

Gustavus fanaticis resistit (1524).

Aliud autem hoc tempore illudque gravius periculum Reformationi Suecicae imminebat. Etenim, dum Gustavus Malmogiae versabatur, cum Frederico, Daniae rege, de pace acturus, Fanatici nonnulli, in his *Melchior Rink* et *Knipperdolling*, e Belgio, ut videtur, in Sueciam advenerunt. Erant illi istiusmodi homines, quales deinceps in Germania, regnum se condere coeleste jactantes, Monasterium sibi rapiebant (1533) (2), nec minus in Belgio sedem suam figere deinceps conabantur (1535) (3). Idem in Suecia perficere fortasse meditati, Holmiae primum latuere, donec, rege Malmogiam profecto, se optimam ad assequendum propositum suum opportunitatem nactos esse sibi visi sunt. Tum igitur in publicum prodierunt et aedem sacram, Johanni consecratam, vi ingrediebantur, ibique, Spiritu Sancto, ut jactabant, agitati, fanaticam doctrinam coram frequenti hominum corona explicuerunt et ex Apocalypsi probarunt. Dein-

(1) *Utan några partiske, som aktade med slika stycken bedraga och förleda den simpla, enfalldiga allmogen, som icke annat förstår än det dem i slik måtto ingifvit varder.* Strinnholm, l. c.

(2) Bzovius, l. c. p. 879.

(3) Recensentur illorum conatus apud Wagenaar, *Vaderl. Historie*, T. V, p. 80.

ceps organa musica, statuas, imagines aliaque aedium sacrarum ornamenta destruxerunt; verbo, Holmiam tumultu et seditione impleverunt.

Turbas autem hasce haud sedarunt nec Olaus Petri nec Langerben, sive pacata, quam antea secuti fuerant fanatici, agendi ratione decepti, sive frustra hoc conantes, sive sperantes fore, ut, sedato deinceps tumultu, magis eluceret vera doctrina, sive denique, quod verisimilius est, nescio quo pavore capti. Postquam vero Gustavus in urbem redierat, hic, tumultuosam reformationem parvi pretii ducens, Olaum et Langerben ad se vocavit, nec tantum ipsis ob oculos posuit illorum negligentiam, qua fanatica studia non represserant; verum etiam acriter illos reprehendit. Tum vero fanaticos coram se arcessivit et vehementer in illos invexit. Ex iis rogavit: » utrum in eo vera esset religio, cultus Dei verus, ut ita tumultuarentur, debaccharentur et raberent, nec minus plebem ad tam crassos adducerent errores maximasque turbas, ut nemo quisquam dubitare posset, quin insanirent et daemone premerentur? Num ignoratis, nullum propositum ad bonum perduci posse finem, nisi lenitate et ordine eo tendamus? Num rite nunc cuncta curastis? Sed operae mercedem accipietis!" (1). Hinc in carcerem il-

---

(1) Rogavit: *om det var en sannskyldig religion och gudsdyrkan, att så svärma, storma och bullra och föra folket i ett så groft svärmeri och villfarelse, att ingen kunde veta annat än de voro rasande och uppenbarligen besatta. Veten I icke, att intet företagande kan föras till någon god ända, utan der följer sagtmodighet och ett ordentlig skick med? Hafven I nu allt väl beställt? Men I skolen få eder lön derföre.* Strinnholm, l. c. p. 420.

los conjecit eosque e regno deinceps proscripsit, capitis poena indicta, si vel unquam in Sueciam redirent.

Quod vero antea diximus, grave hoc tempore Reformationi appropinquasse periculum, paucis illustrandum videtur, ut appareat, quantum illa Gustavo debuerit. Animadvertendum igitur est, rerum novarum non solum inimicos, teste historia, ex hujusmodi tumultibus ansam quaesivisse ad reprehendendam doctrinam evangelicam; verum etiam multos, ceteroquin ab hac admittenda non alienos, odium in illam concepisse, quippe quae seditiones turbasque alere videretur. Quod periculum, ut alibi, ita in Suecia etiam, Reformationi imminebat. Hic enim plerique incolae, inprimis illi, qui ab Holmia remoti vivebant, moribus et institutis, a proavis acceptis, addicti fuerunt; quam ob causam non fieri non potuit, quin famam de fanaticorum agendi ratione, loca religiosa violantium horumque ornamenta sacra frangentium, aegre ferrent, inprimis vero cum Clerici in ipsam Reformationem rei culpam conferrent. Hinc factum est, quod Lutherus, quum in Germania Anabaptistae opiniones suas vi et armis propagarent, fortiter ipsis restiterit, principes adhortans, ut perniciosam turbam, si vires haud deficerent, coërcerent, quin imo delerent (1). Hinc factum etiam est, quod Gustavus fanaticos doctores se-

---

(1) Provocarem ad libellum, hac opportunitate a Luthero conscriptum: *Wider die räuberischen und mörderischen Bauern* (Cf. Hase *Kirchengeschichte*, p. 415, Bzovius l. c. p. 601), si illud inspiciendi opportunitatem nancisci potuissem. Idem tamen satis superque probatur Epistolis, hac de re a Luthero scriptis, quae exstant apud de Wette, l. c. T. II, p. 652, 665, 669.

vere puniverit adeoque exorientem Fanatismum suppresserit.

Posset sane primo obtutu rex videri hac in re politicis potissimum ductus fuisse studiis, quippe quod Anabaptistae docuerunt: gentium magistratui obediendum non esse (1); verum accurate rem attendentibus appareat necesse est, nullum, qua hanc sententiam defendas, argumentum adesse, sive in Gustavi verbis, sive in fanaticorum conatibus. Rex enim hanc tantummodo ob causam illos reprehendit, quod non ea lenitate, non ordine illo, res sacras instaurare conati erant, quibus opus fuisset, si vel unquam res e voto cederet. Fanaticorum autem conatus quod attinet, merito dubitari posse videtur, quin hoc jam tempore illas propugnaverint de magistratu opiniones, quas deinceps fovebant. Quocirca, in Gustavi cum fanaticis commercio, non possumus non regem agnoscere, Reformationis commodo studentem. Cum quo studio si politicum conjunctum fuisset propositum, quaerendum hoc potius foret in iis, quae aliis opportunitatibus in Gustavo animadvertere licet, quam in hoc ipso cum Fanaticis commercio.

Nec tamen in reprehendendis puniendisque Fanaticis substitit Gustavus. Quum enim, quod metuerat, accideret, quod multi, Sanctorum imagines, statuas, caet. magni aestimantes, audita harum turbarum fama ad seditionem propenderent, vulneri medelam allaturus, iter suscepit illud, quod Sueciae reges perficere solebant, quam primum ad regiam dignitatem essent evec-

---

(1) Hanc opinionem inter Anabaptistarum articulos fidei recenset Bzovius, l. c p. 883.

ti (1). Qua opportunitate ut popularium animos composuit, explicando illis veram Evangelii doctrinam, ita etiam ubivis adhortatus est doctores, ut sapientia in re sua procederent, lenitate et simplicitate doctrinam emendatam annuntiarent, nec Pont. Rom. ejusque ministros contumeliis lacerarent, vel sanctos, dies festos, bonaque opera parvi penderent, sed potius sensim sensimque meliora docerent melioraque inducerent. (2)

Jam vero, ut hoc addamus, in oppugnandis Fanaticis et tollendis, quae ex horum agendi ratione oriri potuissent, sequelis, alio modo se gessit Gustavus, quam adhuc se gesserat. Ut enim antea nonnulla mutaverat, quae, vigente in Suecia auctoritate papali, obtinuerant, ita hac opportunitate praeceptoris partes suscepit. Nec tamen ita hoc egit, ut plebem tantummodo institueret; sed ipsos adeo doctores evangelicos meliorem reformandi rationem docuit.

Gustavus Upsaliae disputationem institui jubet, Romano-Catholicos inter et Evangelicos (1524).

Quodsi ea, quae hucusque narravimus, consideramus, Gustavum nihil aliud gerentem videmus, quam quod e regia dignitate sponte sequebatur, illis inprimis temporibus, quibus extraneorum regimine vix liberum evaserat regnum Suecicum. Quis enim jure objicere illi potuisset, ad munera gravissima viros illum vocasse, doctrina et vitae integritate conspicuos? Jure

(1) De hoc itinere (*Briesgata*) conferri potest Lagerbring, l. c. T. II, c. 3, § 3; c. 18, § 3.

(2) Secutus sum v. Dalin, l. c. c. 2, § 25.

quis reprehenderet, rebelles illum munere privasse, nec Pont. Rom. illum obedivisse in re, patriae saluti opposita? Quis queri jure posset, omnes simul subditos illum defendere, et publica Senatus auctoritate omnibus illum imposuisse tributa? Suspicabantur quidem Clerici, alia regem eaque majora meditari; sed quum summa prudentia hic propositum suum assequi conaretur, caeteris Reformatoribus potius, quam Gustavo, resistebant. Imo vero suas de haereticis doctoribus querelas ad regem deferre nequaquam dubitarunt. Eo autem jam res pervenerant, ut non tantum publica Ecclesiae conditio immutanda: Hierarchiae, cum papalis, tum episcopalis, abroganda suprema auctoritas et Clericorum jura ac privilegia tollenda; sed vero etiam ipsa Ecclesiae doctrina ad normam Cod. Sacri instauranda videretur. Huc igitur valuit, quae instituta fuit, Gustavo auctore et judice, disputatio theologica, quae cum Ecclesiam, tum doctrinam, spectabat.

Res ita aliter prorsus se habebat, quum A°. 1524 disputationem institui jusserit rex *Olaum Petri* inter et *Petrum Galle*, acerrimum doctrinae romano-catholicae defensorem (1). Hujusmodi vero disputationes ut prodeunt ex animo, verum inquirente, ita scholasticis medio aevo usitatissimae fuerant. Nec tamen deinceps mos ille in desuetudinem abiit: contra vero, Reformatione exorta, Reformatores cum secus sentientibus saepissime de rebus controversis disputarunt.

(1) De hac disputatione conferri merentur: Hallman, l. c. p. 43. Olaus Celsius, l. c. p. 264. v. Dalin, l. c. § 26. Gerdes, l. c. p. 293. Strinnholm, l. c. p. 425.

Ita in Germania cum *Luthero* et *Carolostadio* disputavit *Eckius* (1519); in Helvetia cum *Zwinglio* et *Leone Judae*, *Faber* aliique (1523). Gustavus igitur, huic consuetudini obtemperans, quosvis Upsaliam convocaverat viros doctos, una cum regni senatu et proceribus. Tandem rex ipse in urbem antiquam se contulit et postquam jusserat, omnia ad verbum conscribi, veniam utriusque doctrinae propugnatoribus dedit, ut opiniones suas defenderent. Hi igitur, placide primum, mox vero vehementer disputarunt de articulis controversis: 1) *Utrum liceat sanctorum virorum doctrinae et ecclesiae ritibus renuntiare, si verbo divino haud nitantur?* 2) *Utrum J. C. Pontificibus, Episcopis, Sacerdotibus, ullam in homines commiserit auctoritatem, praeter illam, qua verbum divinum hominibus annuntiare ipsis est impositum, et utrum alii admittendi sint sacerdotes, quam qui huic muneri incumbant?* 3) *Utrum horum leges, decreta et instituta, illam habeant vim, ut, qui his haud obediat, peccare dicendus sit?* 4) *Utrum ecclesiasticis jus cedat, excommunicatione quempiam a Deo separandi, utpote membrum, ab Ecclesia Dei abscissum: et utrum ipsis liceat, quempiam Satanae membrum renuntiare?* 5) *Utrum, quod nunc ortum est, Pontificum horumque sociorum dominium, sit cum Christo vel contra Christum?* 6) *Utrum alius verus sit Dei cultus, praeter hunc, qui versatur in exsequendis Dei mandatis?* 7) *Utrum meritis suis, an vero gratia divina, homo salutem sibi comparet aeternam?* 8) *Utrum vita monastica S. S. nitatur auctoritate?* 9) *Utrum ulli homini liceat, alia de S. Coena instituere, quam ab*

ipso Christo instituta sunt? 10) *Utrum aliis fides habenda sit revelationibus, praeter illas, quae S. S. continentur?* 11) *Utrum doctrina de purgatorio argumentis, e S. S. petitis, probari possit?* 12) *Utrum adorandi sint sancti et utrum hi nostri dicendi sint defensores, patroni et intercessores coram Deo?*

Quas quaestiones si attendamus, facile intelligimus easdem fere in disputatione Upsaliensi tractatas fuisse res, ac in disputationibus Lipsiensi et Turicensibus. Nec sane mirum hoc accidit, quum in singulis idem disceptationis fuerit propositum. Cum enim alii Ecclesiam, qualis eo tempore fuit, defenderent; multa in illam irrepsisse vitia perhibuerunt alii. Hi igitur inter vitia ista recensere solebant Pontificum Romanorum auctoritatem, quae effecit, ut negligerent, Christianos instituere, potius ipsis imperantes, cum jubendo, tum vero etiam puniendo et absolvendo. Hinc in singulis disputatum fuit de Pontificis auctoritate (1); hinc in disputatione Upsal. de vi decretorum, a Pontifice editorum, deque excommunicatione (2); in Lipsiensi vero de indulgentiis (3). Praeterea inter Ecclesiae vitia hoc etiam recensere solebant evangelici, quod hominem jubeat bonis operibus aeternam sibi comparare salutem. Hinc disceptationes, in disputatione Upsaliensi, de vero Dei cultu, de vita monastica,

(1) Disputationis Ups. quaestiones II, V apud Gerdes in *Monumentis*, operi laudato adjunctis, N°. XVII. Acta disputationis, Lipsiae habita, in Lutheri *Opp.*, Witeb. editis 1558, p. 241. Acta disputationum Turicensium in Zwinglii *Opp.* ed. Schulero et Schulthessio Vol I. p. 128, 481.

(2) Quaest. III, IV.

(3) Acta l. c. p. 276.

de S. Coena, de sanctorum adoratione et de gratuita hominum salute (1); in Lipsiensi autem de libero hominum arbitrio (2) et in disputationibus Turicensibus de sanctorum et virginis deiparae intercessione et invocatione, quodque arcte cum his conjunctum est, de simulacris; porro de jejuniis, feriis statutis, consecrationibus, missa, aliis (3). Horum vero nonnulla cum niterentur doctrina de purgatorio, de hac etiam et in Ups. et in Lips., nec vero minus in Turicensibus, disceptatum est (4). Tandem vero quum plurimi ritus in Ecclesia recepti, vel Paparum decretis, vel conciliorum canonibus, vel recentioris memoriae revelationibus, vel tandem traditionibus, non vero S. S. niterentur, de horum auctoritate data opera in Ups. disputatione egerunt, nec in Turicensibus hanc quaestionem plane omiserunt (5).

Quodsi quaeramus, quibusnam argumentis usi sint utriusque doctrinae propugnatores, a romano-catholicae doctrinae vindicibus pleraque e patrum scriptis fuisse petita, reperiemus; dum nullam aliam apud evangelicos valuisse auctoritatem, praeter S. S., intelligemus. Provocarunt quidem illi ad S. Cod. sententias; sed in his afferendis adeo erant parci, ut de Eckio dicere haud dubitaret Lutherus: *Doleo, quod D. D. ita profunde penetrat Scripturas, sicut tipula*

(1) Quaest. VIII, VI, IX, XII, VII.
(2) Merle d'Aubigné, l. c. p. 47.
(3) Zwinglii *Opp.* l. c. p 148, 493, 168, 170, 514.
(4) Ups. disp. Quaes XI. *Opp.* Lutheri p. 267. Zwinglii *Opp.* p. 537.
(5) Disp. Ups. Acta l. c. Quaest. I, IX. *Opp.* Zwinglii p. 172, 169.

aquas, imo videtur fugere a facie earum, sicut Diabolus crucem (1). Praeterea vero S. S. vim eo valde diminuerunt, quod in singulis locis interpretandis patribus ecclesiasticis fidem adjunxerunt. Evangelici contra, etsi S. S. unicam fidei normam agnoscerent, vel sic tamen patrum scriptis utebantur, utpote testimonium historicum variis de rebus exhibentibus. Nec in singulorum locorum S. Cod. interpretatione horum scripta contemnebant; sed, ubi haec veram S. S. sententiam flecterent et torquerent, ab ipsis recedendum esse, pronuntiarunt.

Disputationem Ups. singulatim attendentes, *Gallium* plus semel ad S. S. dicta provocantem audimus; verum ita hoc egit, ut, quum intellectu sit difficilis S. C., nosque ideo interpretibus indigeamus, admitteret Patrum auctoritatem; hac igitur ratione in disputatione processit, ut Spiritui S. resistere doceret, quicunque Patrum dogma, a Sp. S. ingestum, negaret, quippe quum sanctissimi sint viri (1 Pet. 1) et singularia dona ipsis sint collata. Quibus ita respondit Olaus, ut concederet interpretationem S. Patrum esse recipiendam, ubi non recederet a scripto verbo. In aliis vero, hoc addidit: constitutionibus Patrum, a S. S. dissentientibus, nos discedimus ab illis (2). Quocirca Gustavus, disputandi ardore abreptis silentium imponens, victoriam Olao assignavit, hanc inprimis ob causam, quod argumenta e S. S. duxerat.

Absoluta hac disputatione, jussit rex, ea rerum ca-

---

(1) Lutheri *Opp.* l. c. p. 291.
(2) Gerdes, l. c. Quaestio I.

pita, de quibus disputatum fuerat, quaestionibus nonnullis complecti, Sueco sermone conscriptis, quas primum dijudicandas misit ad viros quoscunque doctos et deinceps una cum responsis typis exprimi curavit (1).

Quibus omnibus, quam egregie reformationi faverit Gustavus, paucis explicare lubet. *Primum* igitur accuratae disquisitioni doctrinam submiserat, quae, e Clericorum aeque ac Laicorum sententia, omni disquisitione major erat. Quod quantopere in Ecclesiae Rom. Cath. damnum cederet sensit Braskius, quum de hac disputatione ad Archi-episcopum scriberet: »justo longius hac in re processum fuisse, quum illorum fides, quae dubiis et disputatione major habenda fuisset, disquisitioni et dijudicationi submissa esset" (2). *Porro* vero attendendum est, Gustavum doctori evangelico victoriam assignasse. Etenim, quum in disputatione Lipsiensi, quinam vicissent haud pronuntiatum esset, et Lutherus et Eckius affirmarunt, se victoriam reportasse, quo non fieri non potuit, quin haec disputatio illa ad propagandam reformationem vi destitueretur, quam, evangelicis victoria assignata, habere potuisset. Alii enim Eckio fidem habuerunt, Luthero alii. In Suecia autem cunctis innotuit, evangelicae doctrinae palmam fuisse datam; quod majoris etiam momenti erat, quum Pontificis Rom. ministri disputassent cum haeretico, quem, paucis diebus ante,

---

(1) *Svar på 12 Spörsmal 1527;* iterum editum 1605.

(2) Scripsit: *Det woro redan alt för långt gångit et deras tro, hvilken borde hållas utom all twifwel och täflan, sattes under skärkåsdan och dom.* Olaus Celsius T. I. p. 265.

Capitulum Ups., ob opiniones erroneas, excommunicatione petierat (1). *Tum* vero etiam addendum videtur, ideo hanc victoriam Olao fuisse assignatam, quod argumenta ex unico S. S. fonte hauserat. *Praeterea* autem quaestiones de gravissimis doctrinae romano-catholicae partibus non Theologis tantum, sed etiam cuivis, rem attendenti, tradebantur; quam liberam fidei inquisitionem, ut Pontifices semper metuerant, ita inprimis in Suecia diserte vetuerant ecclesiae praelati, his verbis: *districte et sub excommunicationis sententia prohibemus, quod nulla layca persona cujuscunque dignitatis aut status existat, masculus vel femina, de fide seu articulis fidei disputari praesumat publice vel occulto* (2). *Tandem* vero haec disputatio, coram magna hominum corona habita, non potuit non illam habere vim in multorum auditorum animos, ut in fide antiqua vacillarent, vel ab illa abhorrerent. Cujus rei etsi non talia afferri possint exempla, qualia disputationis Lipsiensis praebet historia (3), vel sic tamen disputationem Upsaliensem multorum saltem regni senatorum animos propensiores reddidisse ad emendanda, quae sensim paulatimque fuerant depravata, hanc ob causam persuasissimum nobis esse potest, quod, brevi post, in comitiis Holmiensibus, non tantum decreverint, milites in monasteriis collocandos esse; sed etiam voluerint, ut unius anni decimae ecclesiasticae adhiberentur ad sublevandum aerarium publicum.

---

(1) Hallman, l. c. p. 28.
(2) Lagerbring T. III, c. 4, § 5.
(3) Merle d'Aubigné, l. c. p. 75.

Ex his ut apparet, Gustavum hac disputatione egregie reformationi consuluisse; ita, ut redeamus, unde progressi sumus, animadvertendum est, Gustavum majora hac opportunitate ausum esse, quam adhuc tentaverat. Etenim, ut monui, ad illum usque diem nihil instituerat, nisi quod vi regiae dignitatis jure instituere potuerat. Sed, quum hac opportunitate victoriam assignaret Olao, doctrinae ritibusque receptis resistenti, cunctis declaravit, quae adhuc celaverat: Ecclesiam ex sua sententia depravatam esse adeoque se velle horum emendationi favere. Verum, etsi ab hoc inde tempore magis aperte reprehenderet Ecclesiae vitia, vel sic tamen prudentiae, qua ut uterentur, caeteris Reformatoribus auctor erat, haud obliviscebatur. Quod post breve tantummodo temporis spatium apparuit, quum matrimonium iniret Olaus Petri, et Episcopus hac de re apud regem quereretur.

Gustavus Olai matrimonium ratum habet et Braskio, Olaum hac de causa apud ipsum criminanti, resistit (1525).

Verba, quibus ante paucos tantummodo annos, Pallavicini Pont. Rom persuadebat, ut coelibatum fortiter tueretur, verissimam de hujus instituti vi sententiam exhibent. »Quodsi, ita ille, Ecclesiasticis concedatur matrimonium, Hierarchia Romano-Pontificia deleta et Episcopi Romani auctoritas abrogata dici possunt; nam Ecclesiastici, qui a coelibatu desistunt, uxoribus suis puerisque, civitati devinciuntur nec dein-

excommunicationis vinculum non incurrant. Sed si finito anno non separentur, omnino noverint se anathematis vinculo innodatas, et caveant, qui sic eas habuerint, ne excommunicatis ulterius participent in peccato. Quia sicut jure canonico est expressum, eodem vinculo ligarentur, exceptis quinquagenariis sacerdotibus et foeminis. Qui si fidem de continentia et quod nunquam in eodem domo vel sub eodem lecto simul dormiant, poterit eos Episcopus, si ei bonum et tutum videbitur, sustinere (1). Ut autem Clericorum animi ad obedientiam flecterentur, varia obedientibus concessa fuerant jura et privilegia (2). Verum neque his, neque iis, quae de caeteris ecclesiasticis adduntur: *pro immundis et publico fornicantibus nihil penitus invocamus; et si quid eis male contigerit, sanguis eorum, sicut scriptum est, super caput eorum erit* (3), effectum est, ut Clerus Suecicus decretis Skenningensibus de coelibatu se submitteret. Quo circa Innocentius IV (1252) Episcopo Lincopiensi veniam concessit, *dispensandi de clericis concubinariis et Domini Sabinensis statuto ligandi* (4). Idem deinceps repetiit, ne Alexandrum IV (5) dicam, *Guido*, apostolicae sedis legatus, (1266): *quia praesentis temporis infirmitas districtae censurae rigiditatem non patitur et plerumque propter humanam debilitatem*

(1) *Const. Schenning.* Art. I apud Münter *Magaz.* l. c. p. 193. cff. v. Dalin, l. c. c. 7, § 9. Lagerbr. l. c. § 34.

(2) Conferantur *Const. Schenning.* ab Art. IV ad IX apud Münter, l. c.

(3) *Const. Schenning.* apud Münter, l. c.

(4) Theiner, l. c. p. 535.

(5) Theiner, l. l.

contingit, ut quod propter remedium est statutum in laqueum et periculum convertatur, discretioni Vestrae, qua fungimur auctoritate committimus, ut statutis memoratis in suo robore duraturis, circa poenas appositas possitis moderamen congruum adhibere, ac ipsas in alias, minus periculosas et magis portabiles, prout saluti animorum expedire videntur, commutare (1).

Eadem ac in caeteris Europae regionibus Pontificiorum tenacitas, eaedem ac alibi difficultates; verum effectus etiam coelibatus apparent iidem! Sive enim Germaniam, sive Galliam, sive Angliam, sive Daniam et Norvegiam attendamus, in singulis his regionibus, Clericis a Pontificibus coelibatus praescribebatur; sed in singulis etiam fortiter illi antiqua jura propugnarunt. Legati autem papales Europam peragrarunt et ubivis concilia coëgerunt. Varias hic et illic leges ferebant; varias minabantur poenas; quodque his omnibus alibi effecerunt, ut Clericorum mores in dies in pejus ruerent, idem hoc in Suecia decreti de coelibatu fuit effectus. Quod ut satis superque patet e venia transgressionis poenas mitigandi, saepius Archi-episcopis data, ita inprimis hoc apparet e variorum conciliorum decretis et episcoporum nonnullorum hac de re querelis. Unum Jacobi Israelson, Archi-Episcopi Upsaliensis († 1281), testimonium, de Clericorum moribus, afferre juvat: *Sane*, inquit, *nobis dolor est cordi et rubor ori, quod cum multa et diversa S. S. Patrum statuta super vita, honestate et moribus Clericorum emanaverint*,

(1) Lagerbring, l. c. c. 19, § 4.

adeo tamen incontinentiae morbus Clericos hujus provinciae multipliciter et damnabiliter infecerat, quod pauci vel nulli ab hoc morbo reperiuntur immunes etc. (1). Frustra hic, aeque ac alii, Clericorum vitam emendare conabantur; quippe quae sponte e coelibatus instituto oriebatur pessima. Quam ob rem in aliis Europae regionibus Reformationis auctores scriptis primum, tum vero etiam exemplo suo, Ecclesiasticis persuadere conabantur, ut matrimonia inirent legitima. Ita Lutherus (2), ita Zwinglius, alii (3). In Suecia *Olaus Petri*, eodem anno ac in Germania Lutherus, hujusque, ut videtur exemplum secutus (4), Christinam in matrimonium duxit. Quod matrimonium Gustavus non tantum ratum habuit; verum etiam ejusdem adversus Braskium patrocinium suscepit. Etenim hic ita ad regem scripsit: » Caeterum scias matrimonium, quod Holmiae Olaus, etsi ecclesiastico ordine adscriptus, iniit, multorum animos offendisse, quippe quod hujusmodi negotium gestum fuit in urbe regni primaria, in qua quotidie versari soles. Praeterea vero magnae hac de re orientur aliquando difficultates, quando judicandum erit de haereditate

---

(1) Lagerbring T. II, c. 19, § 12. Cff. III, c. 8, § 5. IV, c. 6, § 4.

(2) Cff. *Lutheri epp.* apud de Wette, l. c. III, p. 637, 643, 573 alibi. Deinceps A°. 1525 uxorem duxit *Catherinam de Bora.*

(3) Quod antea jam aliis persuadere conatus fuerat v. c. thesibus suis XXVIII, XXIX, XXX. XLIX, ipse deinceps perfecit quum anno, ut videtur, 1522, uxorem duxerit *Annam Reinhard.* Merle d'Aubigné, l. c. p. 526.

(4) Hallman, l. c. p. 35. Strinnholm, l. c. p. 437.

puerorum, ex hujusmodi matrimoniis oriundorum, quibus, ut lex jubet, plura tribuenda non sunt, quam spuriis. Etenim, ubi tunc judices civiles, aeque ac ecclesiastici, negaturi sunt judicium pronuntiare, a legibus abhorrens, et res ita tuo examini subjicietur, summae temeritatis esset, judicium ferre, quod Imperatorum et Ecclesiae decretis, nec vero minus legibus patriis obesset. Nam quum .... ab Apostolicorum inde tempore .... haud licuerit, ut, qui in Sacris essent, matrimonia deinceps contraherent ... hanc ob causam Olai matrimonium legitimum dicendum non est. Imo vero, secundum jus ecclesiasticum, hoc facinore excommunicationis poenam illum contraxisse negari nequit. Quocirca a te rogo, ut rei consulas, prouti principem Christianum hoc decet etc. (1)

---

(1) Ipsius verba ex Hallmanni opusculo describere operae pretium videtur: *Wärdes och eder Nåde wele wetta att för thet giftemål Mäster Oluff giorde i Stockholm efter thet han war en Andelig person, är myckit umtal i landet, at sådane ärende skulle skie i eder Nådes hufwuttstad i riket helst ther Eder Nåde hafwer sitt daglige wäsende, och måtte ther aff i fram tiden komme myckin orede, när dömesz skulle om arff, efter sådane gifftomål efftar lagen säye, at Pråstebarnen ey skola ärfwa mera än annan hoorbarn, när Lagmennene och andre Andelige eller werldzlige Domare ey wilja döma mott lagenn, warder thet tå skutit in til eder Nåde, och så giöre eller döme mot både Keysarns och Kyrckens och wår egenn lagh, mot sitt lypffte, wore ey oråd at företaga sådane ochristelige gierningar. Ty att .... hafwe aldrig warit tillstatt från Apostlena tidh, att the som woro in Sacris måtte sedenn gå thil giptomål ... är förthenskull förenemdhe Mäster Oluffs giptomål ey rett hionelag eller ecktenskap, uthenn är i bann af samma ger-*

Gustavus autem respondit: » Scripsisti praeterea de Olai matrimonio, quod nos ignorasse, Deus testis nobis est. Illo enim tempore Upsaliae degimus. Quamprimum vero epistolam tuam accepimus, virum arcessivimus, illumque certiorem fecimus de tua epistola et de argumentis, quae hac continebantur. Rogantibus nobis ipsum, quomodo hanc rem defendere posset adversus antiquam consuetudinem, respondit se illam e S. S. ita esse defensurum, ut nulla criminandi causa superesset aequis judicibus, qui legibus humanis divinas praeferendas esse censeant. Quum vero ita paratum se exhibuerit, ad defendendam, coram judicibus, agendi suam rationem, hoc ipsi denegare non possumus... At vero, quod scripsisti, hac de causa Olaum excommunicationis poena teneri, e nostra saltem sententia, mirum hoc accidit, quum ita matrimonii, quod Deus non interdixit, causa excommunicentur homines, dum hac poena non petuntur Clerici, qui concubinas habent et stuprum aliaque facinora infanda committunt, quae lege divina vetantur" etc. (1).

---

ning, epter Kyrckene retth. Görer thy för Gudz skull och hielper thil thet rätte som en Christen Förste bör etc.

(1) Hallman p. 28. *Yttermera skrifwe I om Mäster Oluffs giptemål, hwi Gud att wy aff thet giptomåål icke wiste förre ähn thet skett war, thy wy wore på then tyd i Upsala. Doch strax wy finghe Eder skrifwelse hade wi honom för osz underwisendhe honom eders skrifwelse och the skäl therutinnan wore och beägrandes wetta, huru han then gerning emott gambla sedwenjon förswara wille, gaf han osz för swar, at han thet well så medh Guds lag förswore wille, at ther om ingen nöd eller feel wara skall in för rättfärdige domare som besinna kunne om Gudz lagh icke bör gåå för menniskhe-*

Gustavi quaenam hae in re fuerint merita facile intelligimus, si attendamus, quibusnam in aliis regionibus difficultatibus Reformatoribus pugnandum fuerit. Etenim iis in regionibus, in quibus Clericorum hac in re patrocinium haud susceperunt principes, legati papales et Episcopi gravissimis poenis illos affecerunt Ecclesiasticos, qui uxorem ducere ausi fuerant. Praeterea vero hinc saepius factum est, ut seditiosa plebs non dubitaret hujusmodi Clericos aggredi et laedere. Unde factum, quod coelibatus his in regionibus retineretur, vel, post gravissimum tantummodo certamen, aboleretur. Contra vero, consuetudo legitima contrahendi matrimonia brevi invaluit, ubi principes Reformationi favebant, vel ab illa saltem non abhorrebant. Verum his accedit, quod, dum in Germania alibique laete hanc consuetudinem plebs excipiebat, quippe quae Clericorum vitam depravatam aegre tulit, in Suecia non idem obtinere potuisset. Suecica enim gens, antiquorum morum tenacissima, haec vitia admittere maluisset, quam usum, a longo inde aevo recep-

---

lagh: (*) *efter sådane hans swar at han öfwerbodig är, at sware ther om thil rätte, kunne wy honom thet icke förwägre .... Doch som I skriffwe at han för then gerning skull ärh i bann, tyckes osz af wårt föge förstånd underligit wara, at för Ecktenkapet skull, thet Gudh inthet förbudit hafwer, ther är mann i bann före, och ibland eder Kyrckenes personer för hordom, Jomfrukränckelsze och andre flere slemheter, ther Gud hafwer förbudit, åhr man inthet i bann före* etc.

(*) Edidit A°. 1528 libellum, cui titulum inscripsit: *Een liten Underwisning om Ecktenskapet, hvem thet lofligit är eller ey.* v. Geijer, p. 62 in not.

tum, tollere. Qui igitur, ex Olao agendi ratione, facile oriri potuissent tumultus, eo repressit Gustavus, quod declaraverit, se vitae Clericorum depravatae matrimonia legitima anteferre, ipsique adeo Suecia debet, quod brevi invaluerit haec sententia, quae a doctrina christiana aliena non est, ut Ecclesiastici uxores ducant, et ut abrogata sit consuetudo, singularum regionum saluti quam maxime repugnans.

Gustavus Reformationis adversarios repressit, eorumque conatibus ad illam propagandam utitur (1525 - 1527).

Licet satis feliciter processerit Gustavus in emendanda Ecclesia Sueca, plurima tamen continue ei obmovebantur obstacula. Quomagis enim appareret, Gustavum Ecclesiae emendationem meditari, eo magis etiam patuit, Clericos se acerrimos ipsius vindices praestituros esse. Verum enim vero vir sagacissimus, nulla reformidans obstacula, fortiter hisce se opposuit non tantum, verum etiam conatus, in Reformationis perniciem paratos, in ipsius commodum convertit.

Brevi enim, post initum ab Olao matrimonium, Gustavus Reformationis commodo consulendi opportunitatem nactus est e Johannis M. ad illam oppugnandam, conatibus. Quem cum antea et fortitudine et solertia destitutum diximus, quibus opus ipsi fuisset ad felicem contra Reformationem agendam pugnam, hujus rei documenta facile praebent ea, quae jam narranda sunt. Braskius enim, quem summo jure Messenius nuncupavit: *velut murum aheneum in*

regno Sueciae veteris religionis, postquam frustra tentaverat Reformationem deprimere, Archi-episcopum adhortabatur, ut hic manum operi admoveret. Hic igitur metuens, ne apud Pont. Rom. negligentiae accusaretur, ipsius adhortationi cedendum esse, post diuturnam haesitationem, censuit. Quum vero ipsi Gustavo resistere vel nollet, vel haud auderet, optimam ad impedienda ipsius conamina putavit viam, si pompa ac splendore omnibus palam faceret, quanta valeret auctoritate. Quocirca vestibus indutus pretiosissimis, ducentorumque electorum custodia stipatus, Episcopatus visitationem instituit, laute hac opportunitate vivens cum juvenibus nobilioribus, qui illum comitabantur, et pompa altarium, calicum, vestium sacerdotalium consecrationem celebrans. Gustavus, summa semper cura, quid Clerici molirentur, observare solitus, re audita, Johannem Holmiam evocavit: » Nescisne," inquit, » quid tandem a te munus tuum exigat? Christusne igitur suos Apostolos horumque successores jussit, tali oberrare luxu et res perficere ne minimi quidem momenti, ut sunt campanarum aqua lustrali aspersio, alia; an vero alia eaque majoris pretii? In S. Cod. me legere memini, Christum illos jussisse evangelium propagare, docere, quid sit credendum de Deo deque voluntate divina, ut moribundi bona sint conscientia. Hanc rem in aliis regionibus susceperunt viri docti, S. Cod., aliosque libros utiles interpretantes. At vero in Suecia hujusmodi libri desiderantur, quo fit, ut Laici alia legere non possint, quam libros inutiles, illosque superstitione et rebus inanibus repletos, cujusmodi sunt Horae S.

Matris (1). Episcopi autem caeterique Clerici Suecici turbam constituunt, vitam inutilem agentem, qui tum inprimis orationes habere solent sacras, ubi pecuniae spe adducuntur; quod cum ita sit, quo tandem modo ad Dei cognitionem pervenire possint Laici? Magis igitur te decet, Archi-Episcope! vitam Clericorum emendare et S. Cod. curare interpretationem" (2).

Johannes, severo regis sermone perterritus, promisit, in posterum sese majorem esse habiturum curam religionis, et S. Cod. versionem sese paraturum. Quibus promissis eatenus Johannes stetit, quatenus singularum S. Cod. partium versionem inter Canonicos et Monachos ita distribuit, ut Evang. s. Matth. una cum Epist. ad Rom. *Canonicis Upsaliensibus* cederet; Evang. s. Marcum et utraque ad Corinth. Epist. *Lincopiensibus*; *Scarensibus*, Evang. s. Lucam et Epist. ad Gal.; *Strengnesensibus*, Evang. s. Joh. et Epist. ad Eph.; *Arosiensibus*, Acta Apost.; *Aboensibus*, Epist. ad Thess. et ad Timotheum; *Dominicanis* Epist. ad Titum et ad Hebr.; *Franciscanis*, Epist. Judae et Jacobi; *Vadstenensibus*, Epist. Petri et Johannis; *Carthusianis*, Apocalypsis (3).

Hac ratione Gustavus, ea, quae ad exstirpandam Reformationem meditatus fuerat Archi-Episcopus, in ejusdem commodum vertere studuit. Quod quo magis intelligamus primum animadvertimus, ipsum, Archi-

---

(1) *Wårfru-tiderna*, de quo libro conferri meretur Baelter, l. c. p. 266.

(2) v. Dalin, l. c. c. 3, § 5; Olaus Celsius, l. c. p. 291; Strinnholm, l. c. p. 444; Gerdes, l. c. p. 292; Rühs T. III, L. XI, § 220.

(3) v. Dalin, l. c. not. f.

episcopum monuisse, quantopere officio suo deesset, et hinc illum stimulasse, ut perficeret, quae, e Christi voluntate, perficienda ipsi erant. Praeterea vero ipsi persuasit, ut laborem subiret, qui, si unquam absolutus fuisset, non potuisset non multorum animos praeparare, qui deinceps novam doctrinam reciperent. Ut enim magis magisque vera Christi doctrina obliterata fuerat, postquam S. C. Christianis ereptus fuerat, ita reviviscebat eadem, cum limpidum veritatis fontem adire possent omnes. In Suecia autem pauci tantummodo cognoverant S. Codicem (1). Aderant quidem nonnullarum hujus libri partium versiones et explicationes (2), sed hae non modo magno comparandae erant pretio; verum plerumque etiam linguarum ignorantiam prodebant, cujus rei exemplum afferre lubet: » κυριε ἐλεησον non verba latina sunt; sed graeca et idem significant ac: *o domine miserere*; nam sermone graeco, κυριε significat *domine*, ἐλεησον, *miserere* et Χριστε ἐλεησον, *Christus miserere*, vel et ita κυριε est *Christus*; ελ est *Deus*, ηις est *miserere*, σον est *nos-*

---

(1) Nimirum fuerunt quidem nonnulli, qui non plane hospites dici possent in S. Cod., ut v. c. *Johannes Prest*, monachus Vadstenensis, de quo testatur Diar. Vadst. *omnem illum bibliam scivisse quasi cordetenus* (Lagerbring, T. III, c. 12, § 9, n. 1.) et *Johannes M.*, de quo idem fertur (Rühs, l. c. L. X, § 197); sed plerique illam haud cognoverunt. Senex quisdam: » in maximam," inquit, « rapior admirationem, quod multos hodie audiam juvenes, N. F. dicta quasi in ore habentes. Per diem, 50 annorum natus eram anteaquam sciverem cujusmodi tandem hic liber esset." v. Dalin T. III, c. 3, § 5, not. (g).

(2) Baelter, l. c. p. 268. Lagerbring T. II, c. 20, § 11; v. Dalin, T. II. c. 20, § 11, not. (h).

truut" (1). Praeterea vero omnem Clerici moverunt lapidem, ut S. C. non omnibus innotesceret, cujus rei argumentum est in vehementia, qua Olao et Laurentio Petri se opposuerunt, qui in schola Strengnesensi S. C. interpretationem aggrediebantur (2). Quae si attendamus, omni dubio majus est, quin plerique hoc tempore Sueci ne levissimam quidem S. C. notitiam contraxerint; quod, quantopere in doctrinae christianae damnum factum sit, monere vix opus est. Gustavus igitur Johanni persuadens, ut S. Cod. interpretationem curaret, egregie Reformationi favere conabatur; nam unicuique sic data foret opportunitas in veritatem inquirendi; imo vero multi non dubitassent versionem perscrutari, ipsius Archi-episcopi auctoritate confectam, quippe quae in haereseos suspicionem haud incurrisset; ne dicam illos, quibus haec versio fuerat mandata, se invitis, ad sacrorum librorum lectionem adductos fore.

Hisce autem indicatis, quid causae fuerit, cur haec S. C. interpretatio in lucem non prodierit, paucis moneamus. Nimirum res, quominus e voto cederet, Johannis impedivit exsilium, qua de re, cum satis lon-

---

(1) De magno librorum in Suecia pretio Lagerbring, l. c. § 10. Interpretationis exemplum apud ejusdem l. c. T. III, c. 12, § 10.

(2) Unum hoc Braskii dictum addam:

Bättre hade warit, om Paulus blifwit bränder,
An att han skulle warda af hwar man känder.

Frijxell p. 48. Caeterum de Olao et Laurentio, in schola Strengnes., S C. interpretantibus. Strinnholm, l. c. p. 393; Olaus Celsius, l. c. p. 205.

gam Bzovius (1) relationem exhibeat, ex Olai M., ut videtur, testimonio petitam, vellem, plura hac de re tradidissent historici Suecici. Nam, quum Olaus mihi, hac saltem in re, fide dignus non videtur, criminationes, ab ipso in Gustavum collatae, nondum probatae mihi videntur; quae tamen cum ob testimoniorum historicorum defectum, argumentis satis certis repelli non possunt, subsistendum mihi est in exponendo, quid verosimile dici possit. Itaque Gustavus, Johannis superbiam, quam, ut antea, ita deinceps etiam (2) declaravit, moleste ferens, hunc rerum sacrarum emendationis adversarium e terris suis proscribere meditabatur. Facile enim intellexit, quantopere Archi-episcopum haec superbia incitaret, ut Reformationi resisteret. Quibus quum accesserit rumor, nova Archi-episcopum meditari consilia ad oppugnandam Reformationem, imo vero ad civitatem perdendam, Gustavus Holmiam eundem evocavit et donec causam examinasset, in custodiam illum dedit. Quum autem non inveniret, quo jure Johannem accusaret, quumque vel sic tamen utile duceret, dignitate archi-episcopali illum exuere, simulata ad Sigismundum, Poloniae regem, legatione, virum e patria ejecit (3). Quod si verum sit, etsi ad felicem Reformationis successum egregie accommodatum, vel sic tamen in Gustavi honorem cedere nequit. Nec tamen hac de re certo certius pronuntiare licet, quandoquidem alii historici (4) Suecici narrant, sponte sua, Johannem mu-

(1) l. c. p. 682. (2) Olaus Celsius, l. c. p. 296.
(3) v. Dalin, l. c. c. 3, § 9; Olaus Celsius p. 307.
(4) Strinnholm, l. c. p. 453.

nere se abdicasse, dum alii (1) ipsius itineris causam in eo quaerunt, quod Gustavus ipsi affirmaverit, sese nunquam illum esse agniturum.

Nec tamen Braskius unice ea ratione Reformationem deprimere studuit, ut Johannem ad illud adhortaretur; verum ipse etiam multorum animos ab illa avertere conabatur. Quo consilio cum alia peregit, tum vero etiam epistolam dedit ad Ture Jönsson, ut videtur, quae injuriis repleta erat in res, quas meditabatur Gustavus novas. Quae epistola, quum per omne regnum deinceps dispergeretur, ubique excitavit tumultus. Rex igitur per omne regnum publicavit apologiam: » Fama ad nos delata est," inquit, » quod per regnum rumor serpat, doctores nos defendere, qui fidem annuntiant, a J. C. ejusque Apostolorum doctrina abhorrentem. Nec negamus quidem alibi dissensiones de fide commotas esse, quum viri docti cupiant, ut variae consuetudines pravae aboleantur, quae sensim sensimque contra S. C. sententiam in Ecclesiam irrepserunt. Idem autem nonnulli in regno nostro sentiunt. Alii vero, etsi satis intelligant, multa obtinuisse, minime laudanda, emendationi tamen resistunt, metuentes, ne ipsorum auctoritas et divitiae diminuantur. Quum vero argumentis propositum suum assequi non possint, efficere illud mendaciis conantur, perhibentes, novam induci fidem. Quorum conatuum cum hoc sit propositum, ut excitentur tumultus, vos monemus, ne fidem ipsis habeatis, nec in malam partem interpretemini, quod saluti vestrae consulere nitamur.

---

(1) Frijxell, l. c. p 90.

Novam fidem nec recipimus, nec defendimus. Quamprimum autem opportunitatem nacturi simus, regni Senatum, una cum viris regni doctis, convocaturi sumus, ut lites illas dijudicemus. Ne vero ignoretis, quibusnam inprimis de rebus lis agitetur, sciatis praecipuas esse quaestiones de auctoritate, quam Pont. R., Episcopi, caeterique Clerici, adhuc in Laicos exercuere ...... deque indulgentiis, quae, dum nundinari jactant, ut contra Turcas pugnare possit Pontifex, revera hanc tantummodo ob causam nundinantur, ut hac pecunia Imperatori resistat, caeterosque principes ad bella secum invicem ineunda sollicitet ...... Ubi vero viri docti harum rerum mentionem injiciunt et cupiunt, ut Ecclesiae vitia emendentur, in malam partem hoc interpretantur Clerici, affirmantes novam induci fidem, quam meditatur nemo.... Haec vero utrum justa sint, ipsi judicetis'' etc. (1).

Quae si attendamus, egregie valent ad probandum, quod supra monui, Gustavum iis usum esse ad propagandam Reformationem opportunitatibus, quas in contrariam partem adhibere voluissent Reformationis adversarii. Nam cum Clerici plebi persuadere conarentur, antiquam, illamque ad salutem necessariam, fidem abrogari, alia ipsam docuit Gustavus, cunctis declarans, gravissimis Ecclesiam laborare vitiis. Quid? quod rex, ipsius judicio cuncta committens, libertatem iis concessit, quam tanquam omnis Reformationis fundamentum agnoscimus, de Ecclesiae conditione disquirendi. Quamdiu Pont. Rom. decretis poenis-

(1) Strinnholm, l. c. 463.

que hanc libertatem Christianis eripere potuerant, nullus rerum sacrarum emendationi locus fuerat; verum, postquam hanc libertatem sibi denegari hi diutius non passi sunt, primum Ecclesiam esse depravatam argumentis probarunt, deinceps vero illam emendarunt.

Interea vero Clerici multorum animos ad seditionem propensos reddiderant. Itaque hic et illic audiebantur voces, regem haereticum clamantes. Prima cernebantur inter Dalecarliae incolas seditionis indicia. Huc enim *Knut* et *Sunnanväder*, postquam muneribus a Gustavo privati fuerant (1), aufugerant et Dalecarlos ad seditionem movere conati fuerant. Quum vero rex, his turbis finem impositurus, magna militum cohorte comitatus, in Dalecarliam iter susciperet, rebelles in Norvegiam secesserunt. Vi autem foederis (2), quo haec regio cum Suecia erat conjuncta, postulavit Gustavus, ut ipsi traderentur. Quo factum est, ut, post longas, quas Olaus, Archi-episcopus Trondhemensis, nexit moras, in patriam redierit Knut; quem, postquam rex, convocatis regni Senatoribus nec non Holmiae Consulibus et Senatoribus, proditionis accusaverat, hi capitis damnarunt. Deinceps vero in patriam etiam reverso Sunnanväder, Gustavus utrumque contumeliis afficere statuit. Quocirca jussit, ut vestibus induti tritis et obsoletis, equis fame maceratis retrorsum insidentes, Holmiam ingredirentur. Alterius caput texit infula e betula confecta, corona straminea alterius erat insigne. Personati illos circumdedere clamantes:

(1) Supra p. 59.
(2) v. Dalin l. c. c. 2, § 23.

novum in urbem deduci regem. Deinceps vero (nam haud lubet injurias cunctas referre) Upsaliae Gustavus convocavit, quotquot in urbe adessent, regni Senatores, in his Episcopos Strengnesensem et Arosiensem, Holmiae et Upsaliae Consules et Senatores, nec non Canonicos Upsalienses et coram his judicibus Sunnanväder ejusdem, ac antea Knut, criminis accusavit. Frustra Clerici, qui judicio intererant, urgebant, judicandi jus hac in re Clericis, non vero saecularibus viris competere; a caeteris judicii sociis condemnabatur Sunnanväder eodemque die capitis plectebatur, quam poenam post triduum etiam subiit scelerum socius (1).

Sunt sane in his plurima, quibus Gustavus Reformationi favisse dicendus est. Primum enim declaravit antiqua se Clericorum jura haud agnoscere. Deinceps vero duumvirorum poena caeteris Clericis exemplo esse potuit, quam severe rex in reos, cujuscunque tandem ordinis et dignitatis, amimadverteret. Praeterea, ignominia qua reos affecit, non potuit non efficere, ut diminueretur reverentia, qua Clerici a plebe haberi solebant. Verum has tamen ex ejus historia eradere mallem, quippe quae tali viro prorsus indigna censenda sunt. Non equidem ignoro, Gustavum excusari fortasse posse ex illorum temporum ratione, e sceleris gravitate, vel e proposito, quo rex ducebatur; sed, etsi his omnibus ad Gustavum defendendum vis neganda non sit, vel sic tamen eo valere non possunt, ut illum crudelitatis absolvamus. Quodsi vero quis addere

(1) Strinnholm, l. c. p. 454. Olaus Celsius, l. c. p. 305, 308. v. Dalin, l. c. c. 3, § 9.

velit, datam illum violasse fidem, hunc ad regis diploma delegare sufficiat, in quo cum haec scripta essent verba: *illos ab omni vi liberos in Sueciam esse redituros, ut coram legitimis judicibus facinorum rationes redderent, et libere in Norvegiam redirent, si judices isti judicarent nihil illos perpetrasse, cur poena digni ducerentur* (1), Gustavus fidem datam fefellisse dicendus non est.

Nec tantum in Dalecarlia seditionis initia cernebantur; turbulenti etiam erant Uplandiae incolae. Quocirca Gustavus, ad singula attendens, hos Upsaliam evocavit. Huc ipse deinceps profectus, bis mille equitibus stipatus, equo insidens, sub dio subditos suos allocutus est. Explicuit illis veram Christi doctrinam, et, postquam iis proposuerat, quam ingens esset monachorum pigrorum turba, utile esse probavit, in horum locum doctores substituere rite institutos. Jam vero clamarunt rustici: » se nolle Monachis destitui, praeterea vero se audivisse latinam abrogari missam (2), verbo, veterem mutari fidem." Quibus auditis rex aulicum jussit, sermone latino illos alloqui rusticisque,

(1) *att de frie från alt öfvervåld skulle få komma til Sverige .... at stå til rätta för tilbörlige Domare .... och sedan, om de funnos oskyldige, fritt få fara til Norige igen.* V. Dalin, l. c.

(2) Etenim, opportunitate matrimonii Olai, adhibitam primum fuisse missam Suecam testatur Messenius in *Chron.*

På Mäster Oluffs Bröllopsdag,
War Lutherskom så til behag
At första Swenska Måsza tå
Blef hållen then alla förstå.

Hallman, l. c. p. 36.

se haec non intelligere clamantibus, respondit: »Quam igitur ob causam tanti aestimatis missam latinam?" Ex his autem satis superque intelligens, non omnia simul emendari posse, hilari animo in urbem rediit, quam tamen hilaritatem excepit severitas, quum, paucis diebus post, in Canonicorum conventu, cum his ageret de ipsorum privilegiis. Regi, undenam haec privilegia oriunda sint, roganti, respondebat Galle: » pios reges et principes Ecclesiam illis donasse." » Nonne igitur," rex inquit, » regibus et principibus liceret illa revocare, si temporis ratio id postulat?" Galle non habuit, quod contradiceret. At surrexit Jöran Turson, Canonicorum praepositus. Negavit hic, ulli homini licere, privilegia Clericorum infringere, utque rem suam probaret, ad Decretales provocavit. Quum autem, pro vehementia, qua loquebatur, *Decretales* male pronuntiaret nec argumenta afferret e S. Cod. petita, non tantum illum ludibrio habuit (1) Gustavus; sed etiam hanc ex omnibus duxit conclusionem: sibi licere, pro temporis conditione, Clericorum privilegia, quae S. C. haud nitebantur, auferre vel mutare. Ut autem docendo, monendo, reprehendendo et puniendo multorum animos ad recipiendam reformationem propensiores reddere conatus est: ita etiam firmum sibi aliunde quaesivit praesidium adversus Clericorum et Laicorum studia, Reformationi opposita. Quocirca nobiles sibi devincire e re sua putavit. Quos, ut sibi conciliaret, in comitiis Vadstenensibus (1526) antiqua

(1) *Dricketales* dixit, quam ob rem rex inquit: *Ja, det är sant, I dricken nog och talens wid, men wi och riket hafwe dock skaden.* Olaus Celsius, l. c. p. 296.

illorum jura confirmavit non tantum; sed et auxit: imo vero spem iis fecit, fore, ut aliquando, admissa Reformatione, recuperarent terras, quibus illorum proavi Ecclesiam donaverant. Nam quum inter illos, qui donationibus propitios Ecclesiae se exhibuerant, Sten Sture S[r]. fuisset, monasterio Gryphisholmensi, ab ipso condito, multas concedens terras, has Gustavus hac opportunitate a Monachis expostulavit, quippe quae Erico Johanson, Gustavi patri, vi legum Suecarum, cedere debuissent. Senatus autem regni, Gustavi jura agnoscens, viam aperuit, qua et alii progredi possent ad proavorum terras sibi recuperandas. Quae res eo majorem vim habere potuit, quo magis hujusmodi donationes tam crebrae fuerant, ut multi nobiles ad pauperiem fere adducti fuissent.

Dum vero Gustavus, ad singula attendens, Clericos refragantes vario modo vi ad oppugnandam Reformationem non solum privavit, verum etiam illorum conatus in Reformationis commodum vertit et praeterea hos, aeque ac Laicos, praeparavit ad rerum sacrarum emendationem accipiendam, in reformanda Ecclesia processit et brevi in comitiis Arosiensibus illam constituit. Quibus autem de comitiis anteaquam agere incipiam, alia Gustavi conamina ad reformanda ea, quae in Ecclesia depravata fuerant, recensenda sunt.

Gustavus in rerum sacrarum emendatione, ulterius progreditur.

Primum sane hic locum obtineret Gustavi de S. Cod. versione cura, si satis certis niteretur argumentis

nonnullorum historicorum testimonium, regem sive Laurentio Andreae (1), sive Olao Petri (2), sive tandem utrique (3) auctorem fuisse, ut N. F. versionem conficerent et typis mandarent. Qua tamen de re, quum inter rerum Suecarum scriptores non constet, hic missam illam facimus, Gustavi de S. Cod. versione curam deinceps, data opportunitate, expositluri.

Verum enim vero alia sunt, quae hic in censum veniunt. Etenim quam Clerici, praeter judicium de Clericis, facultatem sibi vindicaverant, delicta nonnulla, a Laicis commissa, judicandi, hanc jam eo tempore aliquatenus saltem iis eripuit. Nam juvenis quisdam *Olof Tyste*, puellae Vadstenensis amore captus, e monasterio Vadstenensi, in quo voluntate parentum, qui matrimonium ratum non fecerant, detinebatur, virginem liberavit. Quod sane, pro illius temporis cogitandi ratione, facinus erat scelestissimum. Quapropter, cum hac de re certior factus fuisset Episcopus Lincopiensis, excommunicatione reos petiit. Gravissima igitur poena illos affecit; nam non tantum ab omnium familiaritate excludebantur peccatores; verum vitae etiam periculo erant expositi. Cujus rei argumento sit, quae nobis superest excommunicationis bulla de *Andrea*, Episc. Strengn. a *Johanne*, Episc. Lubecensi data, in qua, inter alia haec leguntur: *Omnibus, tam ecclesiasticis*

---

(1) Johannes M., teste Hallman, l. c. p. 48; Strinnholm, l. c. p. 447; Baelter, l. c. p. 269; v. Dalin, l. c. § 5.

(2) Gerdes, p. 291, etsi, in notis, huic pag. additis, aliter quodammodo judicet.

(3) Hallman l. c., etsi alibi unum Olaum commemoret.

quam saecularibus .... inhibemus, ne praefato D[ni]. Andreae .... comedendo, bibendo, emendo, vendendo, serviendo, agrum colendo, cantando, legendo, divinis immiscendo, aut quovis alio humanitatis solatio .... quoquo modo participetis (1).

Haec autem bulla, etsi nonnulla contineat, quae in Episcopum, non vero in quemcunque Laicum. quadrant, vel sic tamen quodammodo nos docet, quam gravis eo tempore fuerit excommunicationis poena. Itaque juvenes, in quos gravissimam poenam Braskius constituerat, nullam aliam salutis viam videntes, regem adierunt, ab ipso petituri, ut, sublata excommunicatione, matrimonium confirmaret. Gustavus, re audita, matrimonium confirmavit, simul autem Episcopum jussit, in posterum ab excommunicatione abstinere, donec viri docti examinassent, num haec poena justitiae legibus conveniret (2).

Caeterum alia bene multa huc pertinere, unicuique in oculos incurrat necesse est, attendenti, eodem hoc tempore Gustavum jussisse, ut aedium sacrarum et monasteriorum possessiones et reditus catalogo describerentur; simul vero Episcopo Lincopiensi idem suscipienti severe hoc interdixisse, » quum," ut ait, » ipse monasteria curare vellet." Praeterea vero vetuit, ne monasteriorum praepositi caeterique pastores, absque regia auctoritate, eligerentur; ut antea monasterium Gryphisholmense, ita alias etiam sibi vindicavit terras eandemque subditis concessit veniam; Clericorum, qui,

(1) Lagerbring T. IV, App. X, p. 595.
(2) Strinnholm, l. c. p. 459; Olaus Celsius, l. c. p. 336; v. Dalin, l. c. § 18.

intestati diem obierant, possessiones, sibi vindicavit, et, quod laudandum non est, voluit subinde, ut Clericorum defunctorum testamenta mutarentur. Tandem, ut alia praetereamus, monumenta quaedam superstitiosa e templis ejecit et oratoribus sacris injunxit, ut vulgari uterentur sermone in administrando cultu S. (1). Brevi autem haec recensuimus, fusius ea tractaturi, ubi agendum deinceps nobis erit de reformatione in Suecia, publica Senatus auctoritate, in comitiis Arosiensibus, agnita. De quo, age, videamus.

Gustavus, ut publica Senatus auctoritate Reformatio in comitiis Arosiensibus agnoscatur, efficit (1527).

Etsi Gustavus plura sensim sensimque mutaverat et emendaverat, adjuvantibus ipsum Laurentio Andreae, nec non Olao et Laurentio Petri, qui multis persuaserant, ut doctrinae evangelicae nomen darent; vel sic tamen haec maximam partem ita erant comparata, ut legis vim haud haberent. Nam (ut hoc ad rem illustrandam utar exemplo,) quum Gustavus, publica regni Senatus auctoritate nixus, a Clericis etiam tributa exegerit, illorum quidem jura et privilegia invasit, neque tamen ex eo, quod certa rerum conditione obtinuerat, sequebatur, idem in posterum semper valiturum esse. Praeterea vero plurimae, quae locum habuerant,

---

(1) De his conferantur v. Dalin, l. c. Olaus Celsius, l. c. p. 335. Strinnholm, l. c. p. 458. Gerdes, l. c. p. 303. v. Geijer, l. c. c. 2.

mutationes, ex una regis voluntate oriundae, regni Senatus auctoritate munitae nondum fuerant. Quod cum Gustavus facile intelligeret, quumque illum minime fugeret, multa etiamnunc emendatione indigere, anno 1527 comitia indixit Arosiensia, eo quidem consilio, ut regni Senatus Ecclesiam Suecicam reformandam esse pronuntiaret. Quod, cum e voto ipsi cesserit, his comitiis revera Reformatio in Suecia constituta dicenda est. Quocirca fusius de his Comitiis agendum esse, nemo est, qui non videat (1).

Jam vero ea, quae Comitiorum celebrationem antecesserunt, egregie valent ad significandum, quibusnam studiis, qui Arosiam confluxerunt, Sueci ducebantur. Frequens enim ad comitia convenit hominum corona. Nimirum praeter regem, quatuor aderant Episcopi: *Brask*, Episcopus Lincopiensis; *Magnus Haraldson*, Episcopus Scarensis; *Magnus Sommar*, Episcopus Strengnesensis; et *Petrus Magni*, Episcopus Arosiensis; quatuor porro Canonici, quorum duo Upsalienses erant, vacante id temporis sede archi-episcopali Ups.; duo autem Vexiöensis, quorum Episcopus, *Ingemar Petri*, ob provectiorem aetatem, Comitiis interesse non potuit. Commemorandi praeterea sunt quindecim regni senatores; centum et viginti novem nobiles; triginta duo cives praeter Holmienses; quatuorde-

---

(1) De his comitiis Hvitfeld, l. c. p. 1297. Olaus Celsius, l. c. p. 339. v. Dalin, l. c. § 19. Strinnholm, l. c. p. 482. v. Geijer, l. c. p. 66. Thomaeus, l. c. p. 244. Frijxell, l. c. p. 98. Hallman, l. c. p. 50. Botin T. II, c. 3, § 7. Gerdes, l. c. p. 304. Rühs, l. c. L. XI, § 221. Vertot, l. c. p. 162. Archenholz T. II, p. 35. Maimbourg, *Hist. du Lutheranisme*, L. I, p. 94.

cim montani et centumquinque rustici. Rex autem quid spectaverit, longa disquisitione haud indiget. Nam nisi vel ea, quae antea perfecerat, satis superque hoc demonstrassent, ipsius propositum apparuit cum ex eo, quod nobiles ad comitia arcessiverit bene armatos; tum inprimis inde, quod Olaum Petri, Hierarchiae adversarium acerrimum, secum duxerit. Praesertim vero mentem aperuit ipso die, qui proxime antecessit Comitiorum celebrationem, quo, celebrata coena, antiquum sustulit morem, quo, a tempore *Canuti Ericson*, primas post regem sellas Archi-episcopo et Episcopis assignabantur (1). Rex enim hac opportunitate primum locum regni Senatoribus assignavit; deinde vero nobiles collocavit, hisque ut proxime assiderent Episcopi, jussit; tum iterum nobiles, porro reliquos Ecclesiasticos, tandem cives et rusticos collocavit. Unde ut apparet, Gustavum meditatum esse rerum sacrarum hac opportunitate mutationem, ita etiam brevi post Clerici quid cogitarent palam fecerunt. Nam, quum e regis agendi ratione, quid sibi proponeret, suspicarentur, die insequenti (2), in templum

---

(1) Ita Botin, l. c., v. Dalin secutus, qui T. II, c. 5, § 12 ad *Canutii* tempora hanc consuetudinem refert. Lagerbring quidem (T. II, c. 8, § 7) putat, hunc ordinem *Caroli Sverkerson* tempore jam observatum fuisse; sed quum argumentum in eo quaesiverit, quod Alexander III, in bulla quadam, post regem collocaverit Episcopos, nec satis certum hoc argumentum nobis videatur, illam secuti sumus opinionem, quae tutior videbatur.

(2) Narrat quidem Vertot, factum hoc fuisse, postquam a mensa fuerat surrectum; sed quum auctor ille temporis ordinem haud magni aestimasse nobis visus sit, caeteros potius historicos secuti sumus.

S^t. Aegidii se contulerunt, consilium inituri, quo tandem modo regi resisterent, si, quod metuebant, illorum jura invadere conaretur. Episcopi Strengnesensis et Arosiensis, nescio qua de causa (1), continuo declararunt, sese regni concessuros, quidquid tandem ab ipsis postularet. Braskius autem indignatione plenus: » Si rex," inquit, » quicquam eripere nobis velit, vi, non vero consensu nostro, hoc agat. Caveat unusquisque, ne Pontificis partes deserat. Plurimi olim reges et principes hoc facere sibi proposuerunt, prouti nunc hic idem agere meditatur; sed excommunicationis fulmine a proposito suo deterriti fuerunt. Quodsi vero Pontificem deseramus, qui unicum nobis superest praesidium, ab omni parte premimur, nec deinceps a rege aliter tractabimur, quam servorum ad instar, dum Ecclesiae immunitates et privilegia defendere haud audebimus." Rem Braskius eo perduxit, ut decernerent Ecclesiastici et jure jurando promitterent, sese defensuros ordinis ecclesiastici jura et privilegia, simul vero sese impedituros omnia, quae Gustavus ad immutandam religionem moliretur.

Erant igitur inter Clericos, qui fortiter regi resistere se velle professi fuerant, dum alii declaraverant, se velle Gustavo assentiri. Eadem autem inter nobiles viguit sentiendi ratio. Multi enim ex iis, quae antea Gustavus fecerat, meliora sibi tempora auspicantes, rerum mutationem vehementer desiderabant; alii contra monarchica regis studia aegre ferentes, communem

---

(1) In causa fuisse, quod hi a rege corrupti fuissent, auctor nobis est Vertot. Utrum vero hoc testimonium satis certis nitatur argumentis, equidem ignoro.

eum Clericis rem fecerunt. Cives, rustici et montani Clericorum jura et privilegia, quam patriam, perdere malebant, etsi ceteroquin rerum antiquarum essent tenacissimi.

His igitur regis cancellarius, Laurentius Andreae, solita eloquentia, in memoriam revocavit tempus, quo Gustavus Sueciae rex creatus fuerat, simul vero praesentem patriae conditionem ob oculos ipsis posuit. Proposuit illis Gustavum, se fere invito, munus gravissimum accepisse, quum eandem sortem timeret, ac olim Carolus VIII (1) aliique principes experti fuerant; eundem vero sperasse, cum tandem obtemperasset omnium precibus, fore, ut Sueci, experientia prudentiores facti, in posterum a discordiis et internis litibus abstinerent: sed, eheu! vix libertatem esse vindicatam et pacem restitutam, quin novae orirentur seditiones, tumultus novi; frustra igitur per dies noctesque regem meditari patriae salutem; omnia ejus conamina malam in partem accipi. Regi enim, urgente

---

(1) Hic in historia pugnae Clericorum inter et Suecorum regum auctoritatem notissimus est. Etenim, quum Carolus omnia bona ecclesiastica, quae contra legem, sibi vindicaverant Clerici, recuperare vellet, ita horum sibi contraxit odium, ut Archi-episcopus *Jöns Bengtson* in Eccl. Cathedr. Ups. insignibus suis se exuerit, atque, loricam et gladium cingens, juraverit, se vestimentum sacrum sibi haud esse induturum, anteaquam jus et justitia in Suecia vigerent. Proelio cum rege commisso, Carolum coegit in Germaniam aufugere. (Ericus Olai, l. c. p. 205. Lagerbring, T. IV, c. 8, § 32. v. Dalin T. II, c. 17, § 20. Botin T. II, c. 2, § 4. Strinnholm, l. c. p. 133.) Postquam vero, A°. 1464, denuo rex creatus fuerat, brevi eandem sortem expertus est, rebellante Episcopo Lincop. *Catillo*. (Strinnholm, l. c. p. 142. v. Dalin, l. c. c. 18, § 11.)

necessitate, tributa omnibus imponenti Clericos, prae caeteris resistere; ipsumque ritus superstitiosos abrogantem et Clericorum auctoritatem et professiones diminuentem, omnes simul, Laicos aeque ac Clericos haereticum dicere. Gustavum iccirco, postquam Senatui explicuisset, quae tandem essent emendanda vitia, si vel unquam floreret patria, munere molesto se velle abdicare.

In his igitur vitiis recensendis cum ipsas etiam memoraret ingentes Clericorum divitias, surrexit Episcopus Lincopiensis: » Nos," inquit, » qui ecclesiastico ordini sumus adscripti, facile confitemur, nos jurasse, nos nec in doctrina nec in caeteris rebus, religionem spectantibus, inconsulto Pont. Rom. aliquid mutari passuros esse. Regi nos obedientiam debere, haud negamus; at vero eatenus tantummodo hoc valet, quatenus hujus mandata Pontificum et conciliorum decretis non sint contraria. Possessionum igitur ecclesiasticarum, vel minimam partem abalienare, nobis non licet. Quodsi vero rex velit ritus superstitiosos abrogari et emendari pravos Clericorum et Monachorum mores, non est quod ipsi resistamus."

Roganti deinceps Gustavo, utrum caeteri comitiorum socii ejusdem essent sententiae, responderunt nonnulli: » se iis assentiri, quae a Braskio fuerant prolata." Quibus auditis, rex absque mora surrexit, et, habita oratione, qua vivis coloribus Suecorum animum ingratum depinxit, postulavitque ut ipsi restituerentur, quoscunque in patriae salutem fecisset sumtus, dignitati regiae renuntiavit, lachrymas fundens a throno descendit et e curia abiit.

Qua Gustavi agendi ratione obstupefacti, quid agerent, nesciebant omnes. Discordiae igitur et contentionis pleni erant conventus illo, aeque ac insequenti, die. Tandem vero tertio, post regis e Senatu abitum, die cives aeque ac rustici minis postularunt, ut legati ad regem mitterentur, ab ipso petituri, qui rerum ante actarum non memor, in Comitia rediret. Caeteri autem Senatores coacti tandem assenserunt. Frustra tamen Gustavum adiere Laurentius Andreae et Olaus Petri; frustra ab illo rogarunt, ut a proposito desisteret; frustra et alii idem conati sunt. Tandem vero, ut sequenti die rediret, Gustavum exorarunt. Rediit rex et ut nunc leniores habuit omnes, ita facile illi receperunt conditiones, a rege praescriptas. Erant autem illae hujusmodi: 1) ut omnes Sueciae incolae sedare conarentur, quae oriundae essent, seditiones: 2) ut exigui regni reditus sublevarentur, adhibendo superfluos Episcoporum, aedium sacrarum cathedralium et monasteriorum, reditus, ita ut, postquam definivisset rex, quibus tandem ad vitam sustentandam indigerent Episcopi et Canonici, caetera regi cederent, — utque arces, quas tenuerunt Clerici, regi restituerentur et regi esset potestas restringendi monasteriorum praedia et in feudum illa tradendi cuicunque vellet; 3) ut nobiles recuperarent omnes terras, quas, inde a Caroli Canuti tempore, illorum proavi monasteriis et aedibus S. vario modo tradiderant, ea tamen conditione, ut rem suam rite probarent et damnum resarcirent, si ista praedia Ecclesiae olim vendita fuissent, vel oppignerata; 4) ut ubique in Suecia verbum divinum, ab omnibus hominum additamen-

tis purum, annuntiaretur. — Hisce vero decretis *Vesteras Recess* dictis, alia addita sunt, *Vesterås-Ordinantia* vocata, quorum nonnullos articulos hîc recensere juvat:

Episcopi caeterique ecclesiastici eliguntor regis consensu, ita ut, etsi Episcopo sit facultas eligendi pastores, vel sic tamen illorum electio regis examini subjiciatur, eo consilio, ut, si viros forte elegissent haud idoneos, reprobare hos rex possit (1).

Conficiant Episcopi et Canonici catalogos foenerum annuorum, cujuscunque sint generis, ut rex definire possit, quanta pars aerario publico sit solvenda.

In rebus civilibus Clerici facinorum rationes reddant judicibus civilibus (2).

Quodsi legitimi adsint heredes, his, non vero Episcopo, mortuorum Clericorum bona cedant, nec conscribatur testamentum, in legitimorum heredum damnum.

Monachis mendicantibus non licet monasteriis èxire, ad colligendam stipem, nisi per decem quotannis hebdomades, dum Monachis praebendatis omnino interdicta est mendacitas.

In causis levioribus non adhibeatur excommunicatio, nec puniantur pecuniae mulcta, qui, urgente necessitate, die Domini, caeterisque diebus festis, laborem haud intermittant, aliiave hujusmodi res peragant. Quodsi autem quis in causis ecclesiasticis pecunia mulctetur, mulctae ratio regi reddatur.

Pro puerorum baptismo, sponsi et sponsae, in aedi-

---

(1) Supra p. 60 de Clericorum electione egi.
(2) Supra p. 55.

bus sacris, conjunctione, funeribus, aliis; plura non solvantur, quam legibus ecclesiasticis praescriptum est.

In omnibus regni scholis legatur S. Scriptura: » quandoquidem scholae sunt christianae" (1).

Quae ut rite intelligamus, videndum est, quaenam antea his in rebus obtinuerit ratio, quod cum de nonnullis jam indicaverim, sufficere videtur, ut de iis tantummodo dicam, quae nondum explicavi. Praecipuum igitur hic obtinet locum disquisitio de Clericorum divitiis harumque origine, quandoquidem, his rite expositis, plurima Senatus decreta optime intelligi possunt. Quae autem, quantae fuerint ex ipsius Gustavi verbis efficere liceat, qui testatur: » tot Ecclesiasticos eo tempore possedisse terras et possessiones, ut cum his instituta comparatione regnum et nobiles vix tertiam partem haberent" (2), quod, unde factum sit, quaerentibus brevi apparet, multas Ecclesiae possessiones e *donationibus* ortas fuisse. Harum autem catalogum exhibere longum foret, quippe quas creberrimas fuisse, si vel historia non doceret (3), e plerorumque Christianorum medio aevo cogitandi ratione, veri simillimum nobis fieret. Nam putarunt plerique, hisce donationibus sese posse expiare, quae patraverant scelera, gratiamque se sibi comparaturos divinam sanctorumve auxilium; imo bonorum operum a Monachis patratorum se participes semet ipsos hoc modo

(1) *Efter de ju äre christlige scholor.* v. Geijer l. c. p. 74.
(2) v. Geijer l. c. p. 70.
(3) Exempla extant apud Botin, T. II, c. 3, § 3, 1, 15, 21. Lagerbring T. II, c. 19, § 20; III, c. 2, § 18; c. 5, § 5, 9, c. 11, § 5; IV, c. 6, § 13 alibi.

reddituros. Clerici autem blandis verbis Laicos adhortari solebant, ut his donationibus bene de Ecclesia mererentur, docentes hac ratione cum terrestribus et caducis possessionibus permutari coelestes et perennes. Eadem autem cogitandi ratio multos eo adduxit, ut *testamentis* q. d. magnas Ecclesiae relinquerent possessiones; nam nuncuparunt hoc multi: *Christum heredem facere.* Praeterea vero, quis unquam dubitaret, bonis suis aeternam sibi emere salutem, ubi ipse moribundus his in posterum uti non posset? Quibus addendum, quod Clerici non dubitaverint Christianis, quum in eo essent, ut morirentur, aeternas poenas tam atris depingere coloribus, ut facile cuncta Ecclesiae assignarent bona. Unde igitur factum est, quod haec consuetudo ita invaluerit, ut ipsi Pontifices rei medelam afferre conarentur. *Ad haec*, ita Alexander III, *nunciatum nobis est: quod sunt aliqui inter vos, qui, exhaeredatis legitimis filiis, bona sua omnia Ecclesiis derelinquunt, quod quidem nullo jure permittitur; sed qui habet unum filium, si vult, alterum faciat Christum, dimidium Ecclesiae relinquendo; qui habet duos, faciat tertium Christum et sic in caeteris. Quoniam Ecclesia exhaeredatis filiis recipere totum non debet: quod etiam fratres vel sorores, fratribus vel sororibus praetermissis, facere possunt, ut, sine filiis decedentes, totum Ecclesiis derelinquant* (1). Sueciae gubernatores idem susceperunt, ut e. g. *Thorkel Knutsson* (1290 - 1304), qui, antiquiores leges Sueci-

(1) Botin, l. c. § 20. Lagerbring T. II, c. 10, § 2. IV, c. 6, § 5.

cas emendans, permisit quidem, ut quisque, quas ipse sibi comparaverat, terras (*Aflinge-jord*) Ecclesiae relinqueret; simul tamen vetuit, ne quis majorem, quam decimam, partem traderet illarum terrarum, quas hereditate ipse accepisset, nisi forte hoc fieret legitimorum heredum consensu (1). Quae autem instituta, Clericorum astutia plerumque vim magnam haud exercuere. Ut vero Laici avide opportunitatem aeternam sibi comparandi salutem arripuerunt, ita Clericis, quid agendum esset in conscribendis testamentis suis, leges ecclesiasticae praescribebant. In comitiis Skenningensibus haec decreta fuerant (2): *Filii autem illorum, qui de cetero tales uxores vel concubinas acceperint, vel qui post annum nascuntur, sicut de his, qui jam tales obtinent mulieres, nihil percipiant ab intestato de his, quae pater eorum, vel ecclesia, possidebat. Et si acceperint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant. Illis autem, qui jam nati sunt vel qui infra annum nascentur de mulieribus et sacerdotibus, licet damnabiliter demorentur, jugum de novo non inponimus, sed contestamur eos, et si filii non supersunt, cognatos, quod mortaliter peccabunt et rapinam et furtum committent, si de haereditate sacerdotis vel ecclesiae aliquid acceperint et nisi restituant, Deo reconciliari non possunt.* Quod autem Art. III additum fuerat: *Per testamentum autem possunt sacerdotes licite relinquere cui placet, si quod ex haereditate vel artificio aut doctrina seu ex dono eis*

(1) Botin, l. c.
(2) *Const. Schenning.* Art. II. in Münter *Magazin* etc. l. supra laud.

facto, contemplatione non Ecclesiae sed personae, mortis tempora possederunt, saepe deinceps limitibus circumscriptum esse reperimus. In consilio enim, Telgis habito A°. 1279, decretum fuit, ut, quotquot sacerdos sibi comparasset possessiones, dum munere fungebatur, successori cederent; quod decretum in concilio Ups. (1297) confirmatum fuit (1). In concilio deinceps Arbogensi (1412), ut unusquisque Clericus testamento Episcopum bonorum parte donaret, monuerunt Patres (2). Quodsi autem testamentum conscribi non curasset, e decretis concilii Södercopiensis (1441), in tres partes distribuendae erant ejus possessiones, ita ut partim cederent studiosis pauperibus, partim vero ipsius heredibus, partim etiam adhiberentur, ad legendas missas pro animi salute (3). Haec autem eo magis valuerunt ad augendas Ecclesiae divitias, quomagis divites potissimum ad munera ecclesiastica vocarentur. Defunctorum vero si legitimi desiderarentur heredes, ipsorum bona Episcopis sive Ecclesiae cesserunt (4), quod, cum antiquissimis temporibus ad regis jura pertinuisset, deinceps tamen Clerici sibi vindicarunt.

Uberrimus porro divitiarum Ecclesiae augendarum fons in *decimis* erat. Quarum necessitatem, etsi Pontifices saepius inculcare conati fuissent, docentes: illas V. aeque ac N. F. auctoritate niti; vel sic tamen, ut hoc onus susciperent, ante saec. XIII initium, sibi

---

(1) Botin, l. c. § 18.
(2) Botin, l. c. Lagerbring, T. IV, c. 6, § 3.
(3) Botin, l. c.
(4) Botin § 19.

persuaderi Sueci non passi sunt (1). Increscente autem ecclesiasticorum in Suecia auctoritate, graves hae decimae incolis exstiterunt; nam docuerunt Clerici solvendas has esse *de omni acquisitione et semine*, ut habetur in decretis Concilii Arbogensis (1412); vel de omnibus, quae in terra arboribusve crescunt, de animalibus cujuscunque generis, de artibus, de commercio, de muneribus, verbo, de omnibus, quae quis e terra, aëre vel aqua sibi acquirere possit, ut Oelandiae incolis praecepit Episcopus Bengt (1436) (2). Nec tamen ex his unice suos Clerici duxerunt reditus; nam, sive baptismi ritu pueros in Ecclesiam reciperent, sive sponsum in aede sacra cum sponsa conjungerent, sive ultimam administrarent unctionem, sive mortuorum exsequias celebrarent, aliosve hujusmodi ritus, certam ex his acceperunt pecuniae summam (3). Praeterea vero plurima Laicorum delicta ab ipsis judicari solebant et pecunia mulctari, cujusmodi, ut alia mittamus, hoc erat, si quis die domini, caeterisque diebus festis, laborem non intermitteret (4). Quibus ut Ec-

---

(1) Lagerbring, T. II, c. 8, § 5, c. 11, § 7.

(2) Lagerbring, T. IV, c. 6, § 3. Strinnholm, l. c. p. 342.

(3) Lagerbring, T. II, c. 11, § 8.

(4) Unus et viginti dies eadem fuerunt sanctitate ac dies domini, scil. quatuor dies, quibus celebrari solebat Christi nativitas, (Juledagarne), ipsius circumcisio (1 Jan.), Epiphania altera (Tretlonde dag Jul.), dies purificationis Mariae (Kyndelsmässa), ultimus festi Paschatis dies, alii, de quibus conferri potest Baelter, l. c. c. 12 et 13. Caeterum his diebus, ne perexiguum quidem laborem suscipere licebat. Lagerbring, T. II, c. 6, § 10. Strinnholm, l. c. p. 346, in not.

clesiae divitiae praeter modum auctae fuerant, ita in patriae damnum hoc factum esse, nemo est, qui non videat. Etenim dum reges illa destituti erant vi, ut ab extraneorum hostium impetu Sueciam defenderent, in ipsa Suecia civitas erat, cujus gubernatores auctoritate saepissime abusi fuerant et etiamnunc abutebantur. Quocirca regiae dignitatis incolumitas satis erat precaria, inprimis quum Monachi mendicantes auctoritatis ecclesiasticae satellites essent tenaces, quippe qui, omnem Sueciam peragrantes, credulae Suecorum turbae persuadere solebant Ecclesiasticis, non vero regibus obediendum esse. Nec igitur mirum accidit, Gustavum dignitati regiae renuntiare maluisse, quam ita nomine magis, quam re, regni gerere habenas. Verum enim vero dum hoc egit, ut Monarchiam in Suecia conderet, simul Ecclesiam emendavit. Quod tamen non ita egit, ut, politicorum instar, qui, cum politicis studiis unice ducantur, in condenda et vindicanda auctoritate subsistere solent, in diminuendis Clericorum auctoritate et divitiis subsisteret; verum, quum studiis politicis junctum esset depravatae religionis christianae emendandae studium, simul jussit Gustavus, ut in omnibus regni scholis S. C. legeretur. Caeterum animadvertendum est, Gustavum his, etsi omnia plane nova non essent, rerum sacrarum in Suecia emendationem egregie promovisse. Etenim antea quidem Clericorum electioni se immiscuerat, aedium sacrarum et monasteriorum foenerum catalogum conscribi curaverat, Clericos seditionis accusaverat coram judicibus saecularibus; Braskium, Olof Tyste excommunicantem, reprehenderat; verbo, summum in Ecclesias-

ticos se gesserat imperantem; at vero omnia, quae ad hunc usque diem peregerat, legum auctoritate non nitebantur, et, si vel Senatus decretis niterentur, haec pro tempore tantummodo facta erant, deinceps, mutata rerum conditione, haud item valitura. Postquam vero summa et prudentia et constantia effecerat, ut, in comitiis Arosiensibus, ipsi assentiretur Senatus, publica auctoritate rerum sacrarum emendationem promovere potuit, imo vero, vi muneris, debuit. Quam autem gnaviter huic emendationi ab hoc inde tempore studuerit, porro videndum est.



CAPUT III.

GUSTAVUS REFORMATIONEM, PUBLICA SENATUS AUCTORITATE IN COMITIIS AROSIENSIBUS SANCITAM, STABILIVIT.

AB ANNO 1527 AD ANNUM 1560.



Uti vulgo, docente experientia, in exsequendis decretis multi justo severiores sunt dicendi, ita negandum non est alios lenitati nimium indulgere. Persapienter autem illi agunt, qui, imperii habenas firma manu tenentes, simul tamen ita legum vim moderentur, ut haud noceant iis, quorum saluti e legislatoris mente inservire debuissent. Quae observatio omnino valet de ratione, qua Gustavus in constituenda Reformatione processerit. Decreta enim Arosiensia quam maxime fuisse accommodata ad promovendam gentis Suecicae salutem, nemo est, qui non videat. At vero, summa opus erat et prudentia et constantia in illis vindicandis, si vel unquam illud efficerent, quod legislatori fuerat propositum. Quo modo igitur Gustavus officio gravissimo functus sit, videamus. Qua in re, ut ordine pro-

cedamus, minus temporum, quam rerum, ordinem sequemur et praecipua quaedam rerum capita exponemus, e quibus nobis pateat, quantopere Reformationis Suecicae commodis atque adeo patriae saluti Gustavus, inservierit. Observemus igitur, quomodo versatus sit in ordinandis Regimine Ecclesiastico et Disciplina Ecclesiastica; in habenda porro cura de Christianorum Suecorum doctrina vitaque, inque tandem rerum sacrarum emendatione ab adversariorum impetu vindicanda. Quae singula, instituta comparatione eorum, quae antea obtinuerant, cum institutis Gustavi, illustremus.

Gustavus Regimen Ecclesiasticum ordinavit.

Regimen Ecclesiasticum, quale ante Gustavum fuerat, et decretis Arosiensibus et caeteris regis conatibus magnam partem abrogatum in Suecia haberi potest. Ad illum enim usque diem Ecclesia civitas fuerat in ipsa civitate politica, peculiaribus gaudens gubernatoribus, privilegiis et legibus. Summam in illa auctoritatem Pontifices Rom. exercuerant, modo jubentes, modo interdicentes, permittentes modo, modo negantes. Hi et missis in Sueciam legatis, et bullis, ad ipsum Clerum Suecum datis, Ecclesiam administrarunt, cum leges ferendo, tum vero etiam has vindicando. Archi-episcopi autem ipsorum vicarii erant, quorum qualis fuerit in Suecia auctoritas, ex Innocentio III audiamus, ad *Andream*, Archi-episcopum Lundensem scribente: *Tuae fraternitati concedimus, ut in Lundensi et Upsaliensi Archi-Episcopatibus vice nostra evellas, destruas, disperdas et dissipes, aedifices et*

plantes, sicut ad honorem Dei, exaltationem Ecclesiae ac salutem populi, Tibi commissi, videris expedire (1). Ordine hos exceperunt Episcopi caeterique Ecclesiastici, qui, ut Pontifici Romano ejusque vicariis parebant, ita simul Laicis, subditorum ad instar, imperabant. Quum autem, praeter auctoritatem Pont. Rom., aliam nullam in Ecclesia admitterent Clerici, quumque Laicos cunctos subditos suos haberent, varia sibi vindicarunt privilegia. Sic enim docebant, immunes se esse a solvendis tributis (2) et a judicum saecularium judicio. Quid? quod eo processerunt, ut negarent, regum Suecorum auctoritatem in Ecclesiasticos ullam esse; dum haud dubitarunt, regia sibi vindicare jura (3). Interea vero Laicis leges imposuerunt. Decimas enim ab his exegerunt, officia ipsis praescripserunt, facinora nonnulla judicarunt et in delinquentes disciplinam exercuerunt, poenarum civilium rationem referentem. Ipsi autem Pontificibus obediverunt; hi contra leges tulerunt, decimas aliave tributa Clericis praescribentes (4), illorumve instituta et privilegia confirmantes (5); lites, inter illos exortas, dirimentes (6),

---

(1) Lagerbring, l. c. T. II, c. 14, § 8, not. 2. Münter, *Magazin* T. I, P. II, p. 181.

(2) Ab iis non tantum immunes se dicebant tributis, quae, peculiari opportunitate, exigebantur; sed etiam ab iis, quae consueta dici potuerunt e. g. *Lädungslama*, *Skeppswist*, *Gengärd* aliis. Botin, l. c. p. 95.

(3) Exempla sint: *Ensaksböter*, *Dulgadråp*, *Dana-arf* alia. Botin, l. c. p. 94.

(4) Lagerbring T. III, c. 2, § 7, c. 5, § 3, c. 8, § 3; T. IV, c. 6, § 5.

(5) Lagerbring T. IV, c. 6, § 7.

(6) Lagerbring, l. c.

aliaque pro libitu gerentes. Clericorum vero reditus quod attinet, profluebant hi, ut supra vidimus, e donationibus, testamentis, decimis, mulctis, aliisque fontibus.

Jam vero alia orta erat rerum facies. Etenim Pontificum Romanorum auctoritas profligata fuit. Patet illud non tantum ex eo, quod Gustavus horum voluntati obedire negaverit, sed sponte idem sequebatur e decretis Arosiensibus, quippe quae facultatem tum eligendorum confirmandorumve Ecclesiasticorum, tum decernendi, quot ad vitam sustentandam reditibus Clerici indigerent, eorumque facinorum judicandi, regi dederant. Archi-Episcopi et Episcoporum auctoritatem abrogaverat Gustavus, cum monendo, tum vero etiam reprehendendo puniendoque; nec minus infensa huic auctoritati exstiterant decreta Arosiensia, quippe quae Excommunicationem, in causis saltem levioribus, prohibuerant; mulctas pecuniarias regis judicio submiserant et a judicio civili immunitatem Clericis eripuerant. Praeterea vero Ecclesiasticorum reditus diminuti fuerant; nam Gustavus non tantum tributa ab ipsis exegerat; verum etiam decreta Arosiensia terras, quas e donationibus, testamentis, aliis, a Caroli Canuti inde tempore, Ecclesia acceperat, legitimis heredibus restituerant testamentorumque abusum interdixerant. Verbo ut defungamur, Regiminis Ecclesiastici, quae adhuc obtinuerat, ratio prorsus mutata fuerat. Neque adeo mirum, mutatum illud Regimen Ecclesiasticum postea non satis fuisse definitum. Quocirca in illud constituendum operam contulit Gustavus. Quod quo rectius nobis pateat, duplex instituatur disquisitio opor-

tet, qua et Gustavum attendamus, e decretis Arosiensibus antiquum Regimen abrogantem, et eundem observemus, novam Regiminis formam inducentem et vindicantem. Nam ut alibi Reformatores, qui vulgo dicuntur, adjuvantibus Principibus, antiquo Regimini novum substituerunt, ita in Suecia ipse Princeps hoc egit, quod unde factum sit explicatu difficile non est. Nec rem gravissimam diu differebat. In ipsis enim Comitiis Arosiensibus voluit, ut Ecclesiastici decretis recens factis parerent. Nam, quum in horum Comitiorum decretis, *penes regem esset arces poscere, quas hucusque occupaverant Episcopi*, petiit, ut Episcopi Strengnesensis et Scarensis arces suas, *Tynnelsöensem* et *Läcköensem* (1), ipsi traderent. Nec hi ipsi petenti resistebant. Haesitavit vero Braskius, quum ab illo Gustavus exposceret arcem *Norsholmensem* (2). Imo vero surrexit Ture Jönsson, regem rogaturus, ut hanc arcem in potestate Episcopi relinqueret, quamdiu in vivis esset. Jam vero rex non tantum hoc negavit; sed a Senatu petiit, ut cautionem praestaret de Braskii obsequio. Qua in re Gustavi laudamus et constantiam et prudentiam. Ut enim decreta Arosiensia strenue vindicavit, ita patriae saluti eo egregie consuluit, quod,

---

(1) *Regnorum Sueciae*, *Gothiae* etc. *descriptio nova* p. 53.

(2) De hac arce, vallis et moenibus munita, Strinnholm l. c. p. 363. Arcem vero *Grönsöensem*, quam occupaverant Episcopi Arosienses, A°. 1521 Ottoni Swinhufvid eripuerat Gustavus nec ejus successori restituerat. Arcem *Kustöensem*, prope Åbo sitam, A°. 1528 destrui jussit. v. Geijer, l. c. p. 74 in not. Arcem tandem *Cronobergensem*, ab Episcopo Wexiöensi illum poposcisse, auctor nobis est Strinnholm, l. c. p. 506.

quum facile perspiceret, fore ut brevi seditiones hic illic moverentur, quam primum innotesceret decretorum Arosiensium argumentum, quumque adeo res fuisset periculi plena, arces, bene munitas, in illorum relinquere potestate, qui data opportunitate communem cum rebellibus rem facere haudquaquam dubitarent, nec Braskii haesitatione, nec Turii precibus, a proposito suo se averti passus sit. Haec autem Gustavi in Comitiis Arosiensibus agendi ratio satis superque docuit, regem decreta Arosiensia fortiter vindicaturum esse. Quod deinceps etiam ex aliis bene multis apparuit. Ex eodem enim celeberrimorum decretorum articulo, *regis erat definire, quanta foenerum Ecclesiasticorum pars in publici aerarii usum esset adhibenda.* Gustavus igitur, brevi post Comitia, viros idoneos dimisit, eo proposito, ut hi terrarum Ecclesiasticarum catalogos ab Episcopis, Canonicis et Monasteriorum Praepositis, acciperent. Quibus acceptis, foenera partim sibi vindicavit, partim vero Episcopis et Canonicis assignavit. Nimirum vigente Hierarchia in tres partes distribui solebant decimae, quarum prior pastori (*Kyrkoherden*) cedebat, posteriores vero duae iterum in tres partes abierunt, quarum prima aedi sacrae assignabatur (*Kyrkotionden*), altera vero ab ipsis Laicis retinebatur in pauperum et nosocomiorum commodum (*Fattigtionde*), deinceps autem Canonicis cedebat (*Kaniktionde*), ultima tandem Episcopis tradebatur (*Biskopstionden*) (1). Decimas, aedi s. assignatas, Gustavus

---

(1) Lagerbring T. II, c. 11, § 7. Strinnholm l. c. p. 505. Schubert, *Schw. Kirchenverfassung* T. I; p. 238.

sibi vindicavit, ita tamen, ut certos quosdam ad illas sustentandas, reditus ipsis tradi voluerit. Decimae, quibus pastores uti solebant, haud diminuebantur; Episcopi vero, ut solitas retinerent decimas, pacta cum rege inierunt, quibus sese obstrinxerunt, certam ipsi solvere pecuniae summam. Canonicorum autem decimas quod attinet, has Gustavus ea ratione in aerarii publici usum convertit, ut Canonicis talem illarum partem assignaret, qualem ad illos sustentandos sufficere censuit. Quae vero decimarum distributio quum satis gravibus premeretur difficultatibus, quippe quod, variis de causis, ex ipsis decretis Arosiensibus ortis, decimae in dies diminuebantur, ipsi deinceps et Episcopi et Canonici petierunt, ut rex omnia illorum bona reciperet, tale ipsis concedens stipendium, quale sufficeret ad vitam agendam honestam (1). Monasteriorum nonnullorum Praepositi (2), aeque ac Episcopi, in eo cum rege convenerant, ut, dum solitas retinerent decimas, certam solverent pecuniae summam; at vero pleraque Monasteria nobilibus in feudum tradebantur, qui, etsi lege ipsis impositum esset, Monachos et Moniales sustentare, vel sic tamen plerumque tam tenaces erant, ut sensim sensimque Monachi Monasteriis exirent, matrimonia contraherent et victum docendo vel laborando, sibi compararent. Quo factum est, ut vita monastica, in Suecia, brevi in desuetudinem abierit, exceptis tantummodo paucissimis Monasteriis,

(1) Strinnholm, l. c. v. Geijer p. 108. Botin, l. c. c. III, § 8, 26, 27.

(2) Ita Praepositi Monasteriorum Varnhemensis, Alvastrensis, Skenningensis, Gudhemensis al. Strinnh. l. c. p. 507.

in quibus ab ipso rege sustentabantur Monachi et Moniales, qui ita provecti erant aetate, ut inopiae periculo fuissent expositi, nisi rex pius illud avertisset (1). Tandem vero A°. 1545, varias ob causas, caetera bona Ecclesiastica omnia sibi vindicavit, quod cum e decretis Arosiensibus ipsius non esset, agendi suam rationem non solum, edito manifesto, defendit; verum etiam ita sibi haec bona rapuit, ut illorum, quibus sustentandis inservierant, reditus, non diminuerentur (2).

Ut vero Gustavus decreta Arosiensia eo vindicavit, quod ex ipsorum sententia Ecclesiasticorum divitias diminuerit, ita idem egit tollendo, qui ex his decretis oriebantur, abusus. Nobiles enim venia, *recuperandi praedia, a Caroli Canuti inde tempore ab illorum majoribus Ecclesiae, variis nominibus, tradita* abutebantur. Nam, etsi in decretis Arosiensibus venia ista ea conditione iis esset concessa, ut rem rite probarent, vel sic tamen non raro illas terras sibi vindicare conabantur, ad quarum possessionem justi ipsis deerant tituli. Nec resistebant judices, ad quorum forum hae causae pertinebant, partim quod ipsi nobilium ordini plerumque erant adscripti, partim vero etiam, quod legum ignari erant, ut ipse rex affirmavit (3). Primum quidem Gustavus nobiles, ita se gerentes, reprehendit: » Vos," inquit, » justo propensiores estis, ad multas

---

(1) Quo factum est, ut aliquamdiu superstites manserint Monasteria Skoense, Wadstenense, Wretense al. Thomaeus, l. c. p. 260. v. Dalin T. III, p. 173.

(2) v. Geijer, l. c.

(3) v. Geijer, l. c. p. 111.

vobis arrogandas terras villasque, ad quarum possessionem non nisi inanes praetenditis titulos. Nec nostrum hac in re quaeritur judicium, ut est in Ordinantia Arosiensi, et si hac in re ita procedere liceret, ut unusquisque pro libitu terras villasque sibi raperet, absque omni jure et argumento, prouti tu aliique bene multi fecistis, eandem viam et nos ingredi possemus, quod tamen nec fecimus nec deinceps faciemus, quum illa tantummodo nobis vindicare velimus, quae jure nobis cedere debent. Vos igitur eandem viam sequamini, nec ita vos geratis, acsi in regno nostro nec gubernatores essent nec leges nec justitia" (1). Deinceps vero, rei medelam allaturus, decrevit, ut, exortis de bonorum quorundam possessione litibus, Episcopi et Capitula legatum ad regem dimitterent, qui illorum jura defenderet contra quemcunque, bona Ecclesiae petentem, quo audito, rex ipse utriusque argumenta dijudicaret (2).

At Gustavus non tantum decreta Arosiensia vindica-

---

(1) *I gode män*, ita rex ad Jöran Gyllenstierna, *ären fast och mycket välvillige, att kännas vid många gods och gårder, som I dock hafven föga rätt til. Vi blifve icke heller derom något tillsporde, som Vesterås Ordinantia innehåller och när så skulle tillgå, att hvar och en måtte taga till som han ville, rappa och rycka till sig gårdar och gods, så mycket hvar och en kan, utan skäl, börd och bevis, som I och flere mycket gjort hafva, då kunne vi och bruka samma konst, hvilket vi dock icke gjort hafva, icke heller göra ville, utan der vi hafve godt skäl till; så måsten I gode män ock göra, och icke taga till, likasom här vore hvarken öfverhet, lag eller rätt i landet.* Strinnh. l. c. p. 509. Frijxell p. 110.

(2) A°. 1538. Olaus Celsius T. II, p. 170. v. Geijer l. c. p. 112.

vit, quatenus bona Ecclesiastica haec spectarunt; sed eandem in ipso cernimus constantiam, ubi eadem tuetur decreta, antiquam *Episcoporum eligendorum et consecrandorum rationem*, nec non *disciplinam Ecclesiasticam* emendantia.

Primum autem expositaris nobis agendum est de Laurentii Petri ad munus Archi-Episcopale electione, qua de re ita Bzovius: *Nec minus saevitum est in Sacrosanctam Ecclesiam Upsaliensem, cui per contemptum et ludibrium impositus est quidem Anti-episcopus: Laurentius Petri, Olavi Petri haeresiarchae frater, aetate adolescens, rerum inexpertus, nuper a schola et ferula Magistri subductus, nullo jure, nullo ordine, nulla consecratione aut auctoritate, in tam sublimem cathedram collocatus* (1). Quod quo jure hic scripserit, videamus. Auctoritatem igitur quod attinet, qua ad gravissimum munus vocatus fuerit Laurentius, hanc quidem non derivarunt Sueci, ut adhuc obtinuerat, a Pont. Rom., quippe cujus auctoritas in Suecia non amplius agnoscebatur, nec etiam a Canonicorum collegio; verum a Clericorum electione regisque consensu. Etenim quum e decretis Arosiensibus *penes regem esset Episcoporum electionem confirmare*, Gustavus, vacante sede Archi-Episcopali, Clericos Suecos Upsaliae convocavit, ut Archi-Episcopum eligerent (1531). Licet enim, post Johannis M. e Suecia abitum, Pontifex Rom. ad munus gravissimum designasset Olaum Magni (2), non illa, hoc tempore, in Sue-

(1) l. c. p. 684.

(2) Ipse saltem Olaus fratrem antecessorem nuncupare solet *Hist.* Lib. III, c. 5, 6 alibi.

cia rerum sacrarum erat conditio, ut Pontifici, Archi-episcopum eligenti, obtemperarent Sueci. Quocirca convocatis Clericis, Laurentius Andreae, qui praesidis munere fungebatur, triumviros proposuit: *Magnum Sommar*, Episcopum Strengnesensem, *Johannem*, Decanum Upsaliensem, et *Laurentium Petri*, quibus deinceps Clerici ipsum *Laurentium Andreae* addiderunt. Postquam vero plerorumque suffragiis ornatus fuerat Laurentius Petri, Concilii legati regem adierunt, rogaturi, ut electioni assentiretur. Nec dubitavit hic, quin electionem ratam haberet. Brevi igitur post, ipsum inauguravit Petrus Magni, Episcopus Arosiensis, unus id temporis in Suecia Episcopus, cujus electioni Pont. Rom. assensus fuerat. Qua opportunitate Pallium quidem accepit Laurentius, nec tamen Romae illud consecratum ingentique pecuniae summa inde adductum, ut ferebat consuetudo, quae in Ecclesia Christiana sensim sensimque ita invaluerat, ut ornamentum, quod saec. VI Pontifices Rom. honoris causa ad paucos tantummodo Episcopos mittere solebant, deinceps exhibere diceretur *plenitudinem pontificalis officii*. Quocum arcte hoc erat conjunctum, quod, dum primis temporibus Pont. Rom. vehementer negarunt, sese illud Spiritus S. donum vendere, deinceps haud dubitaverint, a Suecorum Archi-Episcopis pro laneo ornamento 559 marchas argenti accipere (1). Postquam autem Pallio ornatus fuerat Laurentius, jusjurandum juravit hoc: » se ad vitae usque diem supremum doctrinae Evangelicae

(1) De his Lagerbring T. II, c. 11, § 4. Strinnh. l. c. p. 367. Hase, *Kirchengesch.* p. 170, 196.

esse adhaesurum; quod jusjurandum, quantopere differret a solito jurejurando, doceant Innocentii III verba: *Lundensis autem Archi-Episcopus, illud* (Pallium) *accipiens, Archi-Episcopo Suethiae tribuet et fidelitatem et obedientiam Romanae Ecclesiae jurejurando promittet* (1). Infula porro ornabatur, dum ipse tandem Gustavus, pro more, antiquitus in Suecia recepto, baculum archi-episcopale ipsi tradidit (2). Quae si attendamus, mirum sane nobis non accidit Bzovium scripsisse, *nulla consecratione in tam sublimem cathedram* Laurentium fuisse *collocatum*, nam singuli ritus, qui ad consecrationem pertinere censebantur in Ecclesia Romano-Catholica, sive mutati fuerunt, sive prorsus omissi. Magis autem miramur, eundem Laurentium reprehendendi opportunitatem inde quaesivisse, quod rerum inexpertus fuerit. Nam, ne repetamus, quae supra de viro celeberrimo diximus, sive ipsius attendamus doctrinam, sive, qua conspicuus erat, indolem mitem quidem, sed intrepidam simul (3), nullum hoc

(1) Data fuit epistola ad Andream, Archi-episcopum Lundensem A°. 1217.

(2) De Laurentii electione et consecratione Hallman, l. c. p. 61. Baelter, l. c. p. 664.

(3) Detincre me non possum a describenda Epistolae parte, quam A° 1567 ad regem Ericum XIV misit, postquam hic nobiles nonnullos, ipsi suspectos, interfecerat. Ut enim haec epistola declarat studium, quo flagrabat Laurentius, reducendi peccatores in meliorem mentem, ita etiam virum nobis exhibet, quem non quatit vultus instantis tyranni: *Men*, ita ille, *tå jagh nemner then Alsmechtige Gudens strenga och rättwisa dom, blir jagh på E. May: tz wegnar helt förskräckt, weet ock intet huru swaras skall in för then rettferdige Dommaren, the ährlige Swenske Riddersmän*

tempore virum invenimus, dignitati gravissimae aptiorem. Praeterea vero Bzovii criminationem a vero abhorrere, ratio docet, qua Laurentius, ad annum usque 1573, munere suo functus est. Nam, et scriptis,

---

Herr Nils Sture, then E. M. sjelf dräpte, Herr Sv. Sture, Herr Eric Sture, Herr Abraham Gustafsson, hwilcka efter E. M. befalning uti sitt oskyldiga fengelse tyranskeligen mördades ... hwilket war en fast ochristelig gerning långt wederstyggeligare än then tyrannens Konung Christierns war i Stockholm... Här har Konungen utan all gifna orsak, gjordt Qwinnor wernlösa, Barn Faderlösa, the ährlige Herrar liflösa, sig sielf allom indlendskom til en styggelse och utlendskom fiendom til ett åtlöje, hwad wilje i swara then förtörnde Gudenom på then strenga domsens dag, tå the grofwa laster, som nu synas lika som små sandkorn skola tå blifwa såsom the största berg.... Wäl ryser mitt kött och blod före, att skrifwa thessa orden, af frucktan för sin eghen timmeliga undergångh och olycko; men emedan jagh ähr af Gudhs Anda underwiist, att åhörarenas blod, skall på Dommedagn krefwias utu Lärarenas hendher, fördristar jagh migh intet af fruchtan för thenna strenga rekenskapen, lemna thenna förmaningen ogjord. Jag reknar migh för fast lycksalig, om Johannis Döparens blodhiga byhla, skall theeza gamla lemmar för sanningen skuld i grafwen nederläggia, för hwilken fahrlige gerning Gudh dock E. M. nådheligen beware! jag protesterar in för Gudh, och beropar migh på E. May. tz egit samhwete, att thetta är intet första gången, som jagh E. M. sådhane stycker föresteller, ändoch jagh ther medh fögo ting annat utrettat, än löje och forackt åstadkommit, men om thet medh löje bestendigt afloper, lärer then osahliga ewigheten utwysa, ther intet en sann ånger öfwer syndherne, och en thidig umwendhelse ifrån theras onsko emellankommer. Annu står nådhenes dörr yppen, men timman och stundhen på hwilken then tillslutas skall är sannerligen owisz; therföre i dagh medan i hören Herrans röst, så förhärder icke edhor hiertan. Hallman, l. c. p. 132.

quae edidit, et visitationibus, quas suscepit, et caeteris, quos subiit, laboribus Ecclesiam Suecicam ita curavit, ut in Ecclesiae ejusdem potius commodum et salutem, quam per contemptum et ludibrium, illum ad dignitatem archi-episcopalem electum censeamus.

Disciplinam Ecclesiasticam quod attinet, haec antea, ut verbo supra monui, ejusmodi fuerat, ut Clerici, qui ipsi non nisi judicibus Ecclesiasticis facinorum rationes reddere solebant, Laicorum delicta plurima judicarent et punirent. Gustavus quidem ante annum 1527 haec privilegia, sive jura, data opportunitate, ipsis denegaverat, modo ipsorum delicta judicibus civilibus judicanda committens, modo vero etiam judicium Ecclesiasticum de Laicorum delictis tollens; verum inprimis decretis Arosiensibus Disciplina Ecclesiastica plane alia exstitit. Nam in Ordinantia Arosiensi primum regi concessum fuit: *sacerdotes ad munus suum haud idoneos munere privari*; tum etiam, ut, *in rebus civilibus, Clerici a judicibus civilibus judicarentur.* Tandem vero, quamvis etiamnunc nonnulla ad forum ecclesiasticum pertinere censerentur, quae antea ibi judicabantur, vel sic tamen e decretis Arosiensibus pauciora haec erant et praescriptum praeterea Clericis fuit, ut caverent, *ne ob delicta leviora Christianos excommunicatione peterent.* Disciplina autem Ecclesiastica, etsi his decretis emendata aliquatenus, vitiis tamen et nunc laborabat. Quum enim inter causas, quas ad forum ecclesiasticum proscripserat Ordinantia Arosiensis, conjugium etiam esset, Clerici, Jur. Can. enuntiatis inhaerentes, deliquisse eos censebant, qui matrimonia inirent iis affinitatis gradibus, quibus

hoc agere Jus Canonicum prohibuit (1). Praeterea vero hi judices talibus Laicos poenis affecisse videntur, quales a doctrinae Christianae indole satis abhorrebant (2). Quocirca Gustavus, A°. 1529, Oerebroae Clericis Suecicis convovatis, emendari nonnulla curavit, quae emendanda viderentur. Qua igitur opportunitate decretum fuit, ut, » dum Jus Canonicum aliquot constituit gradus sanguinis et affinitatis, in quibus noluit matrimonium esse contrahendum, quos gradus verbum Dei non prohibet, illi, quibus data est potestas dispensandi in his casibus Eccl., uterentur libertate Ecclesiae et datis gravibus causis relaxarent prohibitionem Papalem, ita tamen ut simul caverent, ne dispensatio

---

(1) Hujusmodi gradus (*Gudsifwolag*) oriebantur et e baptismo et e ritibus nonnullis, baptismum sive antecedentibus, sive sequentibus (*primsigning* et *färmningen*). Etenim, qui his ritibus interfuerant, compatribus et commatribus non licebat, neque cum patrinis, nec secum invicem, matrimonia contrahere. Lagerbring, l. c. T. II, c. 19, § 9. Baelter, l. c. p. 447. Thomaeus, l. c. p. 41.

(2) Qualis poenitentiae ratio, ante rerum sacrarum in Suecia emendationem, in hac regione obtinuerit, unum hoc exemplum satis superque docet: *Si qua mater infantem suam oppresserit, triennis poenitentia cum tribus carenis ei debet injungi. Quare sic penam expleat, ut tertia et quinta feria piscibus vescatur, qua completa poterit ab Episcopo in Ecclesiam introduci, ita tamen, quod residuas duas compleat, habens licentiam 3ª et 7ma feria et Sabbato comedendi pisces. Observet quoque in quadragesimali tempore tres hebdomades circa festum Sti Johannis et tres circa festum Sti Michaëlis et totum adventum, in quibus per sextas ferias in pane et aqua remanebit, donec triennium terminetur.* Lagerbring, T. II, c, 14, § 13. Caeterum historiae disciplinae, in Suecia usitatae, conspectus, apud Baelter, l. c. p. 582.

esset conjuncta cum scandalo infirmorum." Praeterea addita fuere haecce: » Poenitentiarii praescribant eam publicam poenitentiam notoriis peccatoribus, quae poenitentes erudiat et alios de peccati gravitate informet" (1).

Singula autem de Disciplina Ecclesiastica decreta quomodo vindicaverit Gustavus, nonnullis pateat exemplis. Munus iis abrogavit doctoribus, qui, sive antiquae doctrinae adhaerentes, sive vitam agentes minime honestam, muneri haud erant idonei (2). Quod inprimis factum est, postquam rex *Georgium Normann*, a Luthero et Melanchthone (3), ipso rege rogante, missum ad erudiendum Ericum filium, *Superintendentem* totius ordinis Ecclesiastici creaverat ipsique varios adjunxerat *Religionis Conservatores* (*Religions-Råd*), penes quos esset, res Ecclesiasticas attendere, singulas visitare Dioeceses, inquirere in Clericorum doctrinam et mores, audire querimonias, illasque ad regem deferre; tandem vero etiam munere privare istiusmodi doctores, qui sive ignorantia, sive pravis moribus, munere essent indigni. In rebus civilibus Clerici a judicibus civilibus judicabantur, ut e. g. apparet e judicio de Olao Petri et Laurentio Andreae lato (1540) quum hi insidias, Gustavo structas, (1536) quarum conscii facti fuisse videntur confessionis auricularis opportunitate, tacuissent. Quod cum innotuerit a regni

(1) Usus sum Baazii, auctoris *Inventarii Sueco-Gothici*, verbis, ut ea operi suo adjunxit Gerdes in *Monum.* saepius jam laud. N. XXII.

(2) v. Geijer, l. c. p. 111 in not. Hallman, l. c. p. 96.

(3) Lutheri Epistola de Georgio apud de Wette, l. c. T. V, p. 178. Melanchthonis Epistola in Bretschneideri, *Corpore Reformatorum* T. III, p. 705.

Senatu (1) capitis damnabantur et quamvis Gustavus, pro sapientia sua, legum vim ita temperaret, ut capitis poena cum mulcta pecuniaria permutaretur, vel sic tamen Olaus, non nisi post triennium doctoris munere denuo fungi cepit, dum Laurentius vitae, qui superessent anni, a munere remotus vivere perrexit (2). Unum tandem hoc addere liceat exemplum, e quo appareat, quam fortiter Gustavus libertatem Christianam in contrahendo matrimonio vindicaverit. Nimirum, postquam Catharina, e domo regia Saxonico-Lauenburgensi oriunda, quam primum in matrimonium duxerat Gustavus, A°. 1535 diem obierat supremum, sequenti anno uxorem alteram duxit Margaretham (*Leyonhufvud*), qua cum A°. 1551 orbatus esset, novas meditabatur cum Catharina, quae defunctae reginae e sorore erat neptis, nuptias. Laurentius Petri autem aliique Clerici Suecici huic matrimonio, utpote non licito, se opposuerunt. Gustavus vero, aliorum Ecclesiasticorum auctoritate nixus, a Pontificibus potius, quam a S. Cod. prohibitum illud censuit. Quocirca, quidquid secus sentientes obloquebantur, a proposito suo se averti non passus est (3). Qua in re, etsi ipsum non omnino laudemus, quippe ira incensus, multa in Laurentium invehebatur, qui a matrimonio hocce illum detinere conaretur (4); vel sic tamen hanc

---

(1) Ita sane Messenius in *Chron. Riksens Råd dömde them til swärd.* Hallman, l. c. p. 101.

(2) v. Dalin T. III, P. I, c. 6, § 7. Hallman, l. c. p. 102.

(3) Hallman, l. c. p. 113. v. Dalin, l. c. c. 8, § 2. Frijxell p. 194.

(4) v. Dalin, l. c. Frijxell p. 196.

ob causam laudibus illum condecorandum esse censemus, quod pro cogitandi sua ratione non dubitaverit a Pontificum decretis quam longissime recedere, quae S. C. niti ipsi non viderentur.

At putet fortasse quispiam, Gustavum magis ipsius matrimonii, quam ecclesiae reformandae, studio fuisse ductum? Tenendum vero Gustavum hoc matrimonium ex Evangelicorum sententia illicitum non duxisse, etsi suspicatus fortasse sit, fore ut nonnulli se ipsi opponerent (1). Quum vero semel Laurentius Petri aliique ipsi resisterent, etiam hac in re ecclesiae restaurandae studio indulsisse videtur. Quidquid autem est, ipsa res hic nobis memoranda videbatur, quum de proposito, quo rex regimen ecclesiasticum ordinaverit, inferius acturi simus.

Roganti vero, qua auctoritate, quo proposito, qua ratione, quo eventu, Gustavus Regimen Ecclesiasticum emendare conatus sit, respondendum videtur; regem ex *auctoritate*, et S. Cod. et decretis Arosiensibus ipsi data, Ecclesiam Suecicam emendasse, eo quidem consilio, ut Ecclesiae aeque ac patriae saluti consuleret; ipsum tamen hac in re nec semper, nec ubivis justa ratione processisse et plurima praeterea emendanda superfuisse. Nimirum Gus-

(1) Patet hoc ex Epistola quam ad Laurentium dedit qua inter alia, haec continentur: *Wy förmodhe käre Erkiebiskop Lars, at som j ären en så ährliger och förståndiger Swensker man, så fierran til edert wesendhe afskild ifrånthe Påfwiskes ogrundade stadgar, at j intet förneken Osz bemelte Wählbördigen Jungfrau Wåår alskelige fästemöö, för then skyldskap henne emellan och Sahl. Drotning Margreta befinnes.* Hallman, l. c.

tavum, ea, quam diximus, *auctoritate* nixum, res sacras in Suecia emendasse, apparet ex Edicto, quod ad subditos suos dedit de antiquis et recentioribus consuetudinibus, quum, A°. 1542, gravissima orta esset seditio, duce *Dackio* quodam (1), multique de eo quererentur, quod consuetudines, a longissimo aevo receptas, mutarentur. Etenim, ut caetera, quae argumentum nostrum non spectant, mittamus, ita scripsit de consuetudinibus, in Ecclesia receptis: » A longo etiam aevo usu receptum fuit, ut Episcopi caeterique Ecclesiastici magnis conspicui essent divitiis magnaque auctoritate; quod quam in patriae damnum potius, quam commodum, cesserit, omnium temporum docet historia. Quum autem Suecia nunquam sacerdotes, sed reges potius, gubernatores agnoverit summos, pravam consuetudinem hac etiam in re emendandam censuimus, ne in posterum Clerici civili regimini se inmisceant; verum popularibus cunctis Evangelium exponant, caeteraque muneris officia perficiant, prouti ipsis a Deo praescriptum fuit.''

Idem Gustavus declaravit quo tempore Vestro-Gothiae et Smålandiae incolae, duce inprimis Thure Jönsson, tumultuantes (1529), regem accusaverint, quod novam illamque haereticam doctrinam in Sueciam induci curasset, Episcoporum, monasteriorum, et aedium sacrarum jura et privilegia invasisset et his omnibus jusjurandum neglexisset, quo populo Suecico se obstrinxerat. Tum enim rex non tantum, coram Se-

(1) De hac seditione, plerumque *Dackefejde* dicta, v. Dalin, l. c. c. 6, § 3, 19. Strinnholm, T. III, p. 407. v. Geijer, l. c. p. 99. Olaus Celsius T. II, p. 222.

natu, de agendi sua ratione respondit, provocans ad decreta Arosiensia; sed etiam voluit, ut haec decreta denuo examinarentur et confirmarentur (1). Caeterum vero haec decreta ideo facta esse docuit, quoniam alia adhuc in Ecclesia Suecica obtinuerant, quam Deus in verbo suo praeceperat; quod monuit in defensione decretorum Arosiensium, quam hac opportunitate confici et coram regni Senatu praelegi jussit, quamque deinceps per omne regnum publicari curavit (2).

Quale vero Gustavi fuerit *propositum* rite definire, est sane difficillimum. Quis enim definire posset, quo modo in Gustavo conjuncta secum invicem fuerint studia politica, quibus factum est, ut et patriae salutem, et suam ipsius auctoritatem, spectaverit, et studia, qualia in Luthero aliisque cernuntur, Ecclesiam e Religionis Christianae indole reformandi? Utraque autem in Gustavi animo revera fuisse conjuncta ipsius verba docent. Modo enim monuit, quantopere Ecclesiasticorum auctoritas in patriae cesserit damnum, modo vero, quantopere a doctrina Christianae indole haec abhorreret, declaravit. Docuit, quam necessarium esset ad patriae salutem, ut Ecclesiasticorum diminuerentur divitiae, imo vero affirmavit, has divitias aeque ac fontes, unde profluxerant, Dei obesse voluntati. Quominus vero statuamus Gustavum, sive his, sive illis, unice fuisse ductum, varia impediunt. Ipsa enim, qua gavisus erat, institutio talis fuerat, qualis effecit, ut a juventute inde rite intelligeret, quam

(1) v. Dalin, l. c. c. 4, § 5. Strinnholm, l. c. p. 52. Frijxell, l. c. p. 121.

(2) Strinnholm, l. c. p. 99.

infensa patriae esset Clericorum et auctoritas et divitiae quamque intus in ipsius animo haeserit persuasio de miserrima Ecclesiae conditione, e doctrinae Christianae mente emendanda. Praeterea vero hoc quominus statuamus, ipsa impediunt Gustavi ad emendandam Ecclesiam conamina; quae sane alia fuissent si vel his, vel illis studiis, unice ductus fuisset. Nam, ut pauca e multis recenseamus, si unice sive regnandi cupidine, sive bonorum Ecclesiasticorum desiderio, flagrasset, quo tandem modo explicare possimus, tot tantasque illum subiisse curas ad instituendos erudiendosque Clericos aeque ac Laicos et ad emendandos illorum mores? Bonorum Ecclesiastisorum desiderio si unice ad agendum fuisset incitatus, hac pecunia minime usus fuisset ad ea instituenda, quae, ut deinceps videbimus, revera instituit, et minores sane reditus Ecclesiasticis assignasset (1) pluraque sibi vindicasset (2). Nec vero minus unice desiderium reformandi Ecclesiam illum incitasse, defendere ausim. Nam habentur in ejus historia res gestae nonnullae, quae his revera obstant. Quocirca statuere malim, Gustavum in emendando Regimine Ecclesiastico, tum studiis politicis, tum doctrinae Christianae purioris amore, ductum fuisse. Nec negare ausim aliis subinde studiis Gustavum in-

---

(1) Exemplo sit Archi-episcopus Laurentius et Martin Skytte, Episcopus Aboensis, quorum prior tantis reditibus gaudebat, ut 50 juvenibus sumtum dare posset, ad frequentandam Academiam Upsaliensem. dum posterior 8 juvenes et in patria et in aliis regionibus institui curabat.

(2) Hoc unum nobis exemplo sit, quod Gustavus permiserit, ut *Ingemar*, Episcopus Wexiöensis, cuncta retineret privilegia, quibus antea fruebatur. Strinnholm, T. II, p. 506.

dulsisse. Sic enim accidit, ut tum etiam reformaret, ubi primum emendationem non cogitaverat. Cujus rei supra me hoc illudve exemplum commemorare memini; quam ob rem a longiore expositione hic abstineo.

In *ratione* porro, qua Gustavus Regimen Ecclesiasticum emendavit, alia sunt, quae in viri summi nos rapiunt admirationem, alia vero minus laudanda. Ut enim plerumque summa et constantia et prudentia et justitia illum egisse, unicuique in oculos incurrit, ita negari non potest justo subinde vehementiorem illum fuisse, quin imo injuste nonnunquam illum egisse. Longiore autem haec expositione non indigent; quippe quae in exponendis ipsius ad emendandum Regimen Ecclesiasticum conatibus ante memoravi.

Superest igitur, ut videamus de Gustavi conatuum hac in re *eventu*. Quem si attendamus, facile patet, Regimen Ecclesiasticum, etsi multis nominibus emendatum, multum etiamnunc laborasse vitiis. Supererant enim Archi-Episcopus et Episcopi; supererat igitur inter Ecclesiasticos auctoritatis discrimen et hinc dominandi opportunitas, imo vero dominandi cupido. Neque ita Disciplina Ecclesiastica erat comparata, ut peccatores ad vitam vere Christianam flectere posset. Verum quidem est, Gustavum Clericorum dominandi studii effectus repressisse; neque negandum, meliora regem cogitasse, cum Georgium Norman Superintendentem diceret, cui Episcopi cuncti, quos *ordinariorum* nomine nuncupare incepit, subessent (1); sed vel sic

---

(1) Hoc quum ageret Gustavus, Regiminis Ecclesiastici formam episcopalem, quae adhuc obtinuerat, cum presbyteriali per-

tamen multa, quae emendanda viderentur, supererant. Quod vero non ita explicari velim, acsi in Gustavi vituperationem haec dicta sint; nam si ea, quae perfecit vir eximius, contemplemur, simul vero ob oculos habeamus, quam vehementer Sueci novis istis rebus se opponerent et quam saepissime rebus politicis Gustavus fuerit inplicatus, non possumus non illum admirari, qui tot tantaque perfecerit.

Gustavi de Christianorum Suecorum doctrina vitaque cura.

Quae hucusque disputavimus externam Ecclesiae, sive societatis, Christianae rationem et formam spectant. Sunt autem illa arctissime conjuncta cum interna societatis conditione, quae socios sapientiores melioresque reddat par est. Quam diu enim, vigente Hierarchia, Ecclesia civitas esset in civitate civili, vinculum Clericos inter et Laicos nullum fere erat aliud, nisi illud, quod inter imperantes obtinet horumque subditos. Gubernatorum ad instar, Clerici sese gerebant; Laici autem officia sua servasse censebantur, si illis, sive jubentibus, sive interdicentibus, obedirent. Hinc illorum auctoritas et divitiae, jura et privilegia; hinc vero etiam Laicorum obedientia Pont. Rom. caeterisque Ecclesias-

---

mutare cogitasse videtur. Sed, ut habent scriptores Suecici, opus susceptum ad finem non fuit perductum. v. Geijer, l. c. p. 98. Thomaeus, l. c. p. 256, quorum prior ita habet: *Inrättningen synes aldrig kommet till allmän verställighet;* posterior vero: *Hans person och embete blir altid at anse, som en sällsamhet i Swenska Kyrkohistorien.*

ticis praestanda. Postquam vero ita haec ratio fuerat mutata, ut Clerici docendo tantummodo et monendo, adhortando et reprehendendo, caeteros Christianos regerent, non fieri non potuit, quin haec rerum mutatio magnam haberet vim in utrorumque et doctrinam et vitam. Nec tamen Gustavus Christianorum doctrinam moresque eatenus unice emendavit, quatenus haec emendatio sponte sua cum Regiminis Ecclesiastici instauratione conjuncta erat, nam utramque singulatim illum curasse variis argumentis probari potest. Quod tamen, ut rite intelligamus, videamus ante necesse est de utriusque ante Gustavum conditione.

Nimirum, quum Pontifices illorumque vicarii in illud inprimis incubuissent, ut suam stabilirent auctoritatem, Clericorum aeque ac Laicorum doctrina et vita parvi ducebantur, nisi huic auctoritati refragarentur. Quo factum est, ut illorum institutio, magnam partem, negligeretur. Etenim Cod. S., ut supra monui, nec Clerici, nec Laici intelligebant. Omnis autem Laicorum institutio eo absolvebatur, ut *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, in linguam vernaculam translata, coram ipsis legerentur (1). Quantum vero e neglecta institutione damnum ceperit vita vere Christiana, historia satis superque docet. Etenim Christiani Suecici, moralem Christi doctrinae indolem haud perspicientes, hanc veram religionem putarunt, qua aedes sacras et monasteria divitiis cumularent, templa frequentarent, observarent stata jejuniorum tempora, sanctos adorarent et peregrinarentur in loca sacra, verbo: externa quaeque

(1) Lagerbring T. II, c. 19, § 11.

perficerent. Qnid mirum igitur, vitae integritatem inter Christianos Suecicos hujus aevi desiderari? Quid mirum, seditiones, homicidia, adulteria, rapinas, intemperantiam, aliaque horrenda facinora memoriae tradita esse? Nec tamen hoc nobis volumus, Clericos in his exstirpandis vitiis omni laude esse defraudandos; ubi enim hujusmodi curae, in variis decretis, testimonia adsunt, quid opus est verbis? Sed hoc dico, Clericorum cogitandi rationem, qua Christianorum domini, quam doctores videri maluerunt horumque neglexerunt institutionem, causam fuisse, cur salutaris Christi doctrina non illam habuerit vim in Suecorum vitam, quam ex indole sua habere potuisset. Praeterea vero, quamvis haud deessent Clerici, ob vitae integritatem laudandi, vel sic tamen plerorumque vita ita erat comparata, ut de his exemplum capere non possent Laici. Et quidem Paparum instituta, aliquatenus saltem, rei ansam praebuerunt. Dum enim et divitiis augebantur et caelibes vivere debebant, nec nisi a judicibus Ecclesiasticis judicabantur, non fieri non potuit, quin vitam ducerent minus honestam. Quod ut antea de nonnullorum moribus monuimus, ita de plerorumque Clericorum vita in regionibus Europae septentrionalibus, idem apparet e testimonio Theodori a Niem († 1417): *De more seu consuetudine in Norvagia Clerici et Laici bibunt ad haustus aequales et nisi super modum quis inebrietur cerevisia, potu cocto, tunc non reputat se beatum et exigit alter ab altero, ut sibi faciat justitiam rebibendo aequaliter cum ipso .... donec ebrius in terram caderet ... quique crebris potationibus cyphos magis exhaurit, hic ceteris corporali vigore ac in*

virtute eccellentior putatur. Et porro: *In eisdem etiam partibus Hiberniae et Norvagiae juxta consuetudines Patriae licet Episcopis et presbyteris tenere publice concubinas et iisdem visitantibus bis in anno subditos sibi presbyteros et ecclesiarum parochialium rectores, suam dilectam ducere secum ad domus et hospitia eorundem subditorum presbyterorum. Nec ipsa dilecta permittit Episcopum amasium visitare sine ipsa, his de causis, ut tunc laute vivat cum presbyteris visitatis in hospitiis eorundem presbyterorum, videatque amasias eorundem, nec non dona seu munera seorsim a quolibet presbytero capiat visitato et ne amasias visitans, Episcopo forte vidente eam pulcriorem, illam etiam adamaret* (1).

Nec puriore vita illos fuisse conspicuos, qui, ut loqui amabant, vitam mundanam respuentes, in Monasteria se absconderent, patet e nonnullis Monasterii Vadst., in Suecia longe celeberrimi, monumentis. Ingegerd enim, prima hujus Monasterii Abbatissa, illius accusabatur criminis, quod *contraxisset nimiam familiaritatem et singulares amores cum secularibus tam laicis quam clericis* (2), neque hujusmodi scelera insolita fuisse, probant et consuetudo, qua Monachi cum Monialibus sub eadem domo conjuncti vivebant (3), et infanticidii vestigia, quae, regnante Carolo IX (1595),

---

(1) Lagerbring T. III, c. 5, § 2, qui eodem hoc loco illorum dubitationes sustulit, qui de Norvegia et Hibernia, non vero de Suecia, haec valuisse putent.

(2) Lagerbring, l. c. c. 11, § 14, not. 4.

(3) Lagerbring T. IV, c. 6, § 15.

in cava arbore, reperta esse dicuntur (1). Unum vero hoc Monasterium commemorando non hoc nobis volumus, caeteros Monachos istiusmodi labe haud fuisse infectos, contra vero universum Monachorum ordinem vitiis laborasse gravissimis, inde efficimus, quod Monasterium Vadst. caeteris hujus generis in Suecia institutis vitae integritatis palmam praeripuisse fertur (2); ne dicam historiam idem exemplis luculentissimis probare (3).

Quodsi ea attendamus, quae cap. II enarravimus, facile apparet, Gustavum ante Comitiorum Arosiensium celebrationem egregie laborasse in emendanda doctrina et vita Christianorum. Nam sive reputemus gravissima munera illum tribuisse viris, quales erant Laurentius Andreae, Laurentius et Olaus Petri, Michael Langerben; sive cogitemus propositum, quo Martino Skytte Monasteriorum visitationem mandavit; sive perpendamus Clericorum illum diminuisse divitias et sustulisse horum a judicio civili immunitatem; sive animadvertamus, Braskio aliisque Reformationi resistentibus illum se opposuisse et Johanni M. aliisque

(1) Thomaeus, l. c. p. 261. v. Dalin T. III, P. II, c. 17, § 14 et 16.

(2) Lagerbring, l. c. § 8.

(3) Ita sane testatum esse Carolum VIII auctor nobis est Lagerbring, l. c. c. 8. § 3: *regulari calcata observantia, in floris, cucullis et alias in exquisita, vestimentorum ordinatione ac cibis, potibus, equitaturis, lectisterniis dissolute viventes* etc. Idem indicant regni Senatores anno 1491, qui opportunitate admissorum Carthusianorum, pronuntiarunt: » se sperare fore, ut horum Monachorum vita sancta, caeteros stimularet, ad emendandam vitam, quam adhuc duxerant inhonestam.

doctoribus auctorem fuisse, ut rite munere suo fungerentur; sive ob oculos nobis illum ponamus cunctis de veritate disquirendi opportunitatem praebentem; sive attendamus, tales illum sustulisse consuetudines, quales effecerant, ut in dies majorem jacturam faceret vera pietas; sive denique illum audiamus subditos suos instituentem, cuncta virum nobis exhibent de Ecclesia Christiana, societate religiosa et morali, egregie merentem. Sed vel sic tamen plurima etiamnunc emendanda supererant. Quocirca, quid Gustavus ad haec emendanda postea contulerit, jam videamus; quae disquisitio eo majoris est momenti, quomagis Sueciae regem celeberrimum nobis proponit, rerum sacrarum instauratoris nomine hac etiam parte dignissimum.

Huc igitur praecipue pertinet cura, quam impendit rex summus Christianorum institutioni eo, quod *effecerit, ut S. C. magis magisque ipsis innotesceret.* Etenim, etsi in Comitiis Arosiensibus decretum fuisset, ut in omnibus Sueciae aedibus sacris scholisque explicaretur verbum divinum, ab additamentis humanis purum, vel sic tamen huic decreto non statim omnes parebant, sive hoc facere non possent, sive nollent. Nam, quum hoc sanciretur decretum. plerique, ut antea vidimus, Clerici S. C. notitia prorsus erant destituti, quod non ita derepente in melius mutari potuisse, facile intelligitur. Qua notitia cum essent destituti, mirum sane non erat antiquae illos adhaesisse doctrinae. Gustavus igitur, ut rem emendaret, primum Clericis, Oerebroae convocatis (A°. 1529), illam curandam mandavit, qui non tantum, sese in posterum purum Dei verbum auditoribus esse annuntiaturos sibique curae hoc

10*

fore, ut in singulis Dioecesibus idem obtineret, promiserunt; verum etiam sese esse curaturos monuerunt, ut in aedibus sacris scholisque cathedralibus lectiones haberentur de S. Scriptura, quibus non tantum interessent illi, qui studiis ibidem incumberent, sed et pastores juniores, ruri degentes. Addiderunt porro, sese procuraturos, ut discentes in scholis haberent rectum textum Bibliorum, praesertim N. T. latinum, et ut praeficerentur Ecclesiis civitatum docti viri, ad quorum conciones saepe congregarentur simplices Pastores, ruri degentes, ut inde proficerent in sensu verbi Dei. Tum vero etiam voluerunt, ut Pastor civitatis ad hos rurales quandoque accederet et in conventibus illorum Verbum Dei recte proponeret (1). Praeterea vero ipse Gustavus, in varias Sueciae partes, viros demisit, S. S. interpretationis haud ignaros, et Episcopos jussit, ut hos in aedibus sacris cathedralibus scholisque admitterent (2). Imo vero juvenes nonnullos in Germania instituendos curavit, virosque, S. Cod. cognitione rite imbutos, datis hac de re ad Lutherum et Melanchthonem Epistolis, e Germania arcessivit. Qua opportunitate, ut alios taceamus (3), in Sueciam profecti sunt, *Normannus* et *Michaël Agricola* (1539) (4), *Magnus*

---

(1) Baazii verbis, apud Gerdesium l. c. reperiundis, maximam partem usus sum.

(2) Olaus Celsius T. II, p. 6.

(3) v. Dalin, l. c. P. I. c. 4, § 5, not. (d). c. 8, § 5. Bretschneider, l. c. T. II, p. 845.

(4) *Normannus*, Erici XIV paedagogus, in Sueciam profectus, deinceps, ut vidimus, rerum Ecclesiasticarum curam suscepit. *Venit*, ut ad Gustavum scribit Lutherus, *a me etiam rogatus, Majestati tuae serviturus. Homo est*

(1545) (1), *Martinus Olao Helsingus* (1554) (2), quorum si attendamus doctrinam, non est quod dubitemus, quin egregie multorum animos S. S. cognitione imbuerint. Inprimis autem hic in censum venit Sacri Codicis, Gustavo curante, in linguam vernaculam procurata versio, eaque per Sueciam dispersa. Nimirum totius Cod. S. versio ad illud usque tempus in Suecia desiderabatur. Quam enim Canonicis et Monachis Johannes M. mandaverat, versio, Archi-Episcopo e patria proscripto, perfecta non fuerat et si vel feli-

---

sanctae vitae, modestus, sincerus et doctus. Denique comitem itineris sui adducit M. Agricolam ... juvenem sane sed eruditione, ingenio et moribus exellentem (de Wette, l. c. T. V, p. 179); Melanchthon de *Normanno: er ist guter Sitten, gottfürchtig, wohlgelahrt und verständig*, dum deinceps utrumque virum: *frommen und gelahrten Personen*, nuncupat (Bretschneider, l. c. T. III. p. 705). Quantum vero uterque eo contulerit, ut S. C. magis magisque innotesceret, exinde patet, quod ille, visitationum opportunitate, tales inprimis Ecclesiasticos munere indignos judicaverit, qui S. C. ignari essent, hic autem cum alia, tum vero etiam N. T. librorum, nec non Psalmorum aliarumque V. T. partium versionem Finnicam perfecerit. v. Dalin, l. c. c. 8, § 5. Baelter, l. c. p. 278.

(1) De hoc viro ita Melanchthon in Epist. ad Normannum: *Venit ad te hic Suecus*, Magnus, *vir eruditus in Philosophia et doctrina Christiana et honestissimis moribus ornans sua studia et Deum vera pietate colens .... Tanta est ipsius* Magni *virtus, ut non dubitem te et alios prudentes vestro judicio eum complexuros esse et invitaturos ad Ecclesiarum in patria gubernationem.* Bretschneider, l. c. T. V, p. 94.

(2) Hic primum in aula regia, dein vero inter Christianos Geflenses, doctoris munere functus, tandem A°. 1571 Episcopus Lincopiensis creatus est; quibus muneribus ita praefuit, ut inprimis ob constantiam in tuenda doctrina puriore magnam sibi famam comparaverit. Thomaeus p. 197.

cior rei fuisset eventus, libros tamen V. F., in vernaculam linguam versos, non habuissent Sueci. Quod valet etiam de versione nonnullorum S. Cod. librorum, a Laurentio Andreae potissimum confecta, et A°. 1526 edita, quippe quae versio non nisi N. F. libros exhibuit. Quam ob rem Gustavus Laurentio Petri imposuit, adjuvantibus Olao, fratre, et Laurentio Andreae, hunc laborem subire. Cum vero in Germania, ante aliquot annos (1534) prodierat S. Cod. versio Germanica, a Luthero, dum in arce Wartburgica detinebatur, incepta et deinceps perfecta, hancce praeceptoris potissimum versionem secuti sunt, ea tamen ratione, ut textum originalem haud neglexerint et subinde versionem Septuaginta-viralem, nec non Chaldaicam, consuluerint (1). Ad finem vero perducto opere, Gustavus, qui viros incitaverat, ut hanc versionem conderent, quatuor concessit, e quaque dioecesi, frumenti medimna ad illam edendam (*Bibeldrucktonne*) (2) et postquam A°. 1541 edita fuit, curavit, ut in singulis aedibus sacris adesset versionis exemplar (3).

Haec autem, ut Gustavum nobis exhibent, qui non modo mutaret, quae auctoritate suae erant opposita, sed etiam omnem, quem, potuit laborem impenderet, ut vera Christi doctrina magis magisque innotesceret, ita singulatim iis repugnant historicis, qui bonorum Ec-

(1) Secuti sunt versionem Lutheri primam, A°. 1522 et 1534 editam. Postquam autem Lutherus in editionibus, postea editis, mutaverat quaedam, idem egit Laurentius, S. Cod. libros nonnullos singulatim edendo. Hallman, p. 88. Baelter, p. 270.

(2) Schubert, l. c. T. I, p. 34.

(3) Hallman, l. c.

clesiasticorum desiderium unice illum stimulasse perhibent (1). Gustavus enim, si hoc unice desiderio flagrasset, propositum suum assecutus fuisse dici posset, postquam in comitiis Arosiensibus magnam saltem horum bonorum partem regni Senatores ipsi adjudicaverant, nec sane opus fuisset horum partem cedere, sive ad edendam et dispergendam S. Cod. versionem, sive ad suppeditandos juvenibus nonnullis sumtus, ipsorum institutioni necessarios.

Verum alia etiam bene multa in Ecclesia Suecica emendatione indigebant. Licet enim et Olai Petri caeterorumque doctorum Evangelicorum et ipsius Gustavi conatibus hic illic *ritus*, adhuc in Ecclesia usitati, essent emendati, vel sic tamen plurimis locis antiquiores retinebantur, ita ut in Suecia hoc tempore cerneretur quaedam antiquorum rituum cum recentioribus permixtio. Itaque quamprimum quis, pietatem suam erga Deum declaraturus (2), aedem sacram exstrui cu-

---

(1) Ita Maimbourg, *Hist. du Lutheranisme*, p. 93: *Il ne fut pas trop difficile à ce Secretaire* (Laurentius Andreae) *de gagner l'esprit de son maitre, qui s'estant fort endetté durant la guerre et trouvant son épargne toute épuisée, ne songeait qu'aux moyens de la remplir. Car il luy remontra, qu'il n'y avoit pour cela, qu'a suivre la doctrine du pur Evangile, qu'on preschoit en Saxe, — que selon cette reforme il pourroit réunir à son domaine la plus grande partie de ces grands biens, que les Ecclesiastiques de son royaume possedoient. Cela persuada Gustave beaucoup plus encore, que les discours des deux Luthériens de Stégebourg*, etc.

(2) Ut a Religionis Christianae in Suecia inde initiis hic illic conditae fuerant sedes sacrae, ita brevi hoc pietatis esse putarunt plerique. Lagerbring T. I, c. 16, § 33. Baelter, l. c. p. 97.

rasset, ecce, Episcopus aliusve Ecclesiasticus locum adiit, hanc consecraturus: » Primum duodecim in aedes parietibus depingi solebant crucis signa, quibus singulis apponebatur cereus ardens, parietes deinceps aqua lustrali, cum sale mixta, aspergebantur (1). Tum vero Sanctorum reliquiae afferebantur. Porro altare et vasa, Sacramentis destinata, consecrabantur. Mixtura quadam ex aqua, sale, cinere vinoque confecta aspergebantur vel potius perfundebantur parietes et pavimentum. In singulis aedis angulis Episcopus varia signabat crucis signa et cuncta haec agens, preces legit Latinas, dum caeteri, quotquot ad festum confluxerant, litanias canentes, per aedem obambulabant" (2).

Ad has, postquam rite consecratae fuerant, aedes Christiani variis confluere solebant diebus, sive J. C., sive Sanctorum Patronorumque memoriae dicatis, quod quam saepissime factum fuerit unicuique patet, attendenti ad ingentem sanctorum numerum, quem una

(1) Quum in nonnullis administrandis ritibus sal adhiberetur, e. g. in templorum consecratione, baptismi ritu, al. illud consecrari solebat die Domini, Paschatis festum proxime antecedente. Baelter, l. c. p. 145.

(2) Ita narrat Lagerbring T. II, c. 19, § 13. *Tolf kors afmålades aldraförst på Kyrko-wäggarne och framför hwart kors sattes et brinnande ljus: därpå beständktes wäggarne med wigwatn, som war blandadt met salt. Då inburos Helgonens aflefwor, och därefter inwigdes Altaret och de wid Sacramentarne nödwändige Käril. Med en blandning af watn, salt, aska och win öfwerstänktes eller begötos sedermera wäggar och golf. Wid alla hörnen af Kyrkan gjorde Biskopen åtskilliga kors, och under alla desza särskilte göromål läste han Latinska böner, och den församlade Menigheten gick imedlertid omkring i Kyrkan och söng Litanier.*

Suecia tulerat (1). Convenerunt huc non tantum, Christianorum more, ut pueros suos Baptismi ritu tingere, vel et confirmari, curarent; Sacram celebrarent Coenam aliaque observarent; verum singulis hisce multa addita erant, e superstitione, potius quam Christi doctrina, oriunda; quorum tamen nonnulla tantummodo recensenda videntur, quippe quae valent ad illustranda, quae deinceps narrabimus. Uti enim *Sanctorum adoratio* in Suecia, aeque ac in aliis Europae regionibus, obtinuit, prae caeteris *Anscharium* (2), *Helenam* (3), *Brigittam* (4), Sueci magni fecerunt.

---

(1) Sanctorum Suecorum cohortem recensere non lubet. Illorum nomina caet. inveniri possunt apud Thomaeum, l. c. p. 66, 159 alibi. Lagerbring T. I, c. 16, § 21; II, c. 6, § 8, 9, 10, c. 14, § 19, c. 20, § 21; III, c. 2, § 15, c. 5, § 10, c. 11, § 7.

(2) *Anscharium* quanti fecerint ex his, quibus nonnulli illum adorare solebant, appareat verbis:

Ansgari Pater optime
Errantes nos in devio
Reduc tuo juvamine
Servans in Christi gremio.

Lagerbring, l. c. T. I, c. 16, § 15.

(3) *Helenam*, A°. 1164, jubente Alexandro III, in Sanctorum numerum receptam, ita reverebantur Sueci, ut his verbis illam alloqui non dubitarent:

Salve Decus Patriae
Martyr Deo grata
Ad laudem Vestgothiae coelitus donata
Coram rege gloriae digno jam locata
Esto regni Sueciae clemens advocata.

Lagerbring, l. c. T. II, c. 6, § 8.

(4) Nec tamen minore reverentia *Brigittam* prosequebantur, quae repetitis jejuniis, vestitu duriore, peregrinationibus ad lo-

Coram his igitur aliisque Sanctis Patronisve, preces suas fundere solebant Sueci; in horum aliorumque honorem, hymnos cecinerunt sacros, quibus eo tempore religio fere absolvebatur. *Baptismus* porro ita administrari solebat, ut praeter Exorcismum varii adhiberentur ritus, qui S. Cod. auctoritate non nitebantur, cujus generis erat salis oleique usus (1). Idem obtinuit in celebranda *Sacra Coena*, de qua, cum ita sentirent, ut post benedictionem sacerdotalem, panis materiem in Christi corpus mutari censerent, factum hinc est, quod calicis usus in Suecia, aeque ac in aliis Europae regionibus, Laicis interdiceretur, dum ex eadem sententia sponte sequebatur, hostiam, quamprimum a sacerdote elevaretur, adorandam esse; nec minus etiam in ipsius honorem processiones esse suscipiendas (2). Verum, quum in his processionibus, aeque ac universe in singulorum rituum celebratione, cereorum usus esset frequentissimus, die purificationis Mariae (*Kyndilmässa*) consecrari solebant lumina omnia, quibus per integrum annum Christiani uterentur (3). Praeterea vero inter ritus sacros *confirmatio* erat, quam hanc ob causam commemorandam esse cen-

---

ca sacra, aliisque exercitationibus piis, praeterea vero miraculis, quae patravit et patefactionibus, quas accepit, vitae Sanctitatem ita probaverat, ut a Bonifacio canonizata fuerit (7 Oct. 1397). Lagerbring, l. c. T. III, c. 8, § 9. Thomaeus, l. c. p. 161.

(1) De ceremoniis, in administrando baptismo usitatis, Lagerbring T. II, c. 19, § 9. Baelter, l. c. p. 366.

(2) De S. Coena, Lagerbring, l. c. § 10. Baelter, l. c. p. 307.

(3) Baelter, l. c. p. 160.

sui, quoniam in hoc etiam ritu celebrando oleo sacro uti solebant, additis aliis ceremoniis, quae, etsi ad rem nostram non faciant, vel sic tamen e decretis Ecclesiasticis commemoro, quo magis appareat, quales hoc tempore in Suecia obtinuerint ritus. *Parvuli septennes*, ita haec jubent, *et majores jejuni per Episcopum confirmentur et fasciolis eorum frontes ligentur, abluunturque tertia die a chrismatione apud Ecclesiam per presbyterum, si commode fieri potest, et ablutio et panniculus, qui fuerat alligatus fronti, comburatur* (1).

Pauca vero etiam his addenda sunt de *palmarum consecratione*, de *campanarum* usu, de *unctione extrema* deque *missis pro defunctorum animis*. Nimirum die Domini, qui Paschatis festum proxime antecessit, palmarum ramuli consecrari solebant, quibus deinceps magnam Christiani tribuerunt vim ad avertenda quaecunque mala et ad magna quaecunque patranda (2). Moribundis adhibebatur unctio extrema, qui ritus, saec. 15°. inter Sacramenta relatus, ab omni peccato Christianos purgare censebatur (3). Porro vero pro defunctorum salute missae celebrabantur plerumque tres, quarum prima ipso funeris die dicebatur; altera vero die, post exsequias, septimo vel quatuordecimo; tertia tandem tricesimo post illas die, nisi forte quis testamentis, in Ecclesiae commodum conscriptis, vel aliis donationibus effecisset, ut singulis hae annis repeterentur. Qua opportunitate audiebatur campanarum sonus; qui

(1) Lagerbring, l. c. § 9, not. 6

(2) Baelter, l. c. p. 145.

(3) Baelter, l. c. p. 496; Thomaeus, l. c. p. 202.

pro vario missae tempore variis dicebatur nominibus (*Weckoringning*, *månadsringning*, *årsmotsringning*) (1). Caeterum vero addendum est, jejunia et peregrinationes in loca sacra in Suecia, uti alibi, viguisse et partim quidem cunctis praescripta fuisse, partim vero etiam excelsioris sanctitatis habuisse laudem (2).

Jam vero haec, quae medio aevo obtinuerant, ex Ecclesia Suecica nondum profligata erant; quod cum aegre ferret Gustavus, harum inprimis rerum emendandarum curam Clericis, Oerebroae convocatis, mandavit, simul tamen jubens, quum omnes abrogare ceremonias res videretur periculo plena, lente in his festinare. Quocirca in illo subsistebant Concilii socii, ut aliam ritibus usitatis tribuerent significationem, quam adhuc e plerorumque opinione habuerant, docentes: *Aquam lustralem* peccata non abstergere, quippe quod Christi mors unice efficere potuit; at in memoriam tantummodo illam revocare, quo lavati sumus, Baptismum; *Sanctorum imagines* in aedibus sacris non adesse, ut adorentur; at vero, ut templa exornent et in memoriam nobis revocent piorum hominum vitam, ideoque nos adhortentur, ut sanctam horum vitam imitemur; *Palmas* non hanc ob causam consecrari, acsi illo ritu singularis quaedam iis impertiretur vis; sed in memoriam palmarum, quibus Judaei Servatorem nostrum, Hierosolymas intrantem,

---

(1) Baelter, l. c. p. 128, Thomaeus, l. c. p. 201.

(2) Conferri possunt de statis *jejuniorum* temporibus, Baelter, l. c. p. 179. De *peregrinationibus*, Lagerbring T. II, c. 6, § 8; III, c. 2, § 8, c. 8, § 10. Strinnh. T. II. p. 347. Thomaeus p. 198. Hallman p. 144.

honorarunt; *Candelas*, die purificationis Mariae *consecratas*, in memoriam revocare Christum, verum lumen, in templo Hierosolymitano Deo fuisse oblatum; *Campanarum* usum in eo esse, ut, statis temporibus, Christianos ad aedes sacras convocent (1); *Unctionem extremam* signum tantummodo esse interni Sp. S. chrismatis; *Templorum aedificationem* natura sua non esse Dei cultum, quippe Deus non inhabitat templis, ab hominibus extructis; *Templorum, cibi salisque consecrationem nullius esse* momenti, nisi eatenus, quatenus nullum inchoandum est opus absque precibus; *Jejunia* non in Dei cultum, sed ideo instituenda esse, ut animi affectus frenemus; *Peregrinationes ad loca sacra* eo tantummodo valere, ut majores in cognitione doctrinae Christianae faciamus progressus et pios rerum sacrarum aspectu foveamus sensus (2). Caetera hujus Concilii decreta, quum alibi commemoraverim, hîc silentio praetermitto, unum hoc addens, quod Baazius (3) refert: *quoniam nimis multa festa Sanctorum celebrantur, quae occasionem citius peccandi, quam Deum colendi subministrant, ipsaque necessarios labores impediunt, judicamus sufficere, ut festa Concept.*

---

(1) In hunc usum campanas antea etiam fuisse adhibitas, verosimile est; at vero aliis ceremoniis easdem plerumque in Ecclesia Suecica inserviisse, supra monui.

(2) De concilio Oerebroensi: v. Dalin, l. c. c. 4, § 4. Olaus Celsius T. I, p. 393. v. Geijer, l. c. p. 78. Gerdes, p. 319. Hallman, l. c. p. 57. Frijxel, l. c. p. 119. Rühs, l. c. L. XI, § 227. Archenholz, l. c. T. II, p. 77. Vertot, T. II, p. 215.

(3) Gerdes *Monument.*, saepe jam laud., N°. XXII. Cf. Baelter passim.

Nativ. Praesent et Passionis Christi, Item Pentecoste et Apostolorum feriae cum diebus patronorum serventur. Aliae feriae cum tempore sileant per prudentiam Episcoporum abrogatae.

At vero miretur quis fortasse, diutius me versatum esse in exponendis decretis Oerebroensibus, quippe quae ab Ecclesiasticis Suecicis potius, quam a Gustavo lata, ab argumento nostro aliena videantur. Nec sane negandum est, primas hac in re partes Ecclesiasticis esse tribuendas. Verum enim vero Gustavo haec aliquatenus esse tribuenda, neminem fugit attendentem, Gustavum non tantum Concilium hocce coegisse; verum etiam illud rexisse, quum jussisset, ut praeses illi interesset Laurentius Andreae. Praeterea vero Concilii decreta satis superque declarant, magnam regem in illud vim habuisse, quippe quae plane illos spirant sensus, quos in Gustavo animadvertere plerumque licet. Haec enim ipsius erat sententia: primum Laicos esse instituendos, tum vero, emendandos esse, qui in Ecclesia obtinuere, abusus, quandoquidem emendatio rite procedere non potest, nisi ante Laici rite instituantur (1). Ad instituendos autem Laicos cuncta decreta Oerebroensia fuisse accommodata, quis est, qui non intelligat? Dum enim antea externos quosdam observarunt ritus, quorum significatio quaenam esset, vix intellexerunt, ita deinceps hac notitia destituti non amplius forent. Imo vero praeparabantur Suecorum animi, qui puriorem postea religionis formam admitterent,

(1) *Efter det följer dock föga bättring af, förrän Allmogen något bättre må undervist blifva.* v. Geijer, l. c. p. 78.

nam, etsi retineri viderentur antiqui ritus, revera tamen aboliti dici potuerunt. Quod ut pateat, hoc uno utar exemplo: Concilii quidem decreta Sanctorum imagines ex aedibus sacris haud sustulerunt, sed vel sic tamen, quod emendandum erat, effecerunt, nimirum e Suecia profligarunt Sanctorum adorationem.

Ut autem in hoc Concilio (aliisque deinceps opportunitatibus) (1) rerum sacrarum emendationem aliis mandavit, ita subinde ipse ad idem propositum doctoris partes suscepit. E pluribus pauca afferre exempla sufficiat. Prae caeteris igitur memoranda ipsius verba, in comitiis Arosiensibus (1544) pronuntiata: »vera religio in eo est, ut Deum colamus, revereamur, et amemus, omnem nostram fiduciam non in Sanctis et Patronis ponamus, sed in J. C., qui peccatis nos liberavit, morte et inferno; ut verbum Dei magni aestimemus et in illud inquiramus per dies noctesque, regique obediamus secundam divinam voluntatem, proximum quemque diligamus, ut nosmet ipsos, et hoc amore pleni abstineamus ab homicidio, furto, adulterio et abhorreamus a mendacio, dolo et falso in proximum edito testimonio. Haec vera est religio, haec opera bona, a Deo in S. C. praescripta. Quod autem aquam attinet lustralem, cerae, palmarum, candelarum consecrationem, Sanctorum adorationem, missas pro mortuorum animis, alia, haec in S. C. nequaquam sunt praescripta, imo vero hominibus interdicta. Est enim

(1) Praeter alia documenta, quae alibi commemoravi, huc refero, quod jusserit, ut Davidis Psalmi in Suecum idioma transferrentur ad publicum in conventibus sacris usum. Baelter, l. c. p. 248.

in Psalmis: » me unicum in calamitatibus invoces, ego tibi auxiliabor" et iterum, me unicum reverearis et laudes. S. Coenae sacramentum a Christo fuit institutum, ut signum vel arrhabonem haberemus remissionis peccatorum et ut, hanc celebrantes, in memoriam revocaremus Jesu mortem cruentem; quod sane propositum, me judice, longissime abhorret a consuetudine illa, qua argento et auro illud occludamus et processiones suscipiamus in illius honorem, ut veteres docuerunt doctores. Hanc igitur veram religionem, ab ipso Deo praescriptam, in Sueciam inducere sum conatus" (1).

Porro in censum venit edictum de primi hebdomadis diei celebratione ad Finlandiae incolas datum, quodque hujusmodi est: » decet sane, ut unum hebdomadis diem a ceteris secernamus, ut audiamus, discamus et sedulo perpendamus divinam voluntatem; ut gratias Deo agamus, illumque laudemus ob beneficia, quae in nos contulit, simul vero ab eo rogemus illa, quibus et animus et corpus indigeant; ut Christi corpore et sanguine utamur ad augendam et confirmandam fidem nostram. Vigente quidem V. F., Judaei convenire solebant Sabbathi die; verum quum S. C. pronuntiasset, leges Mosaicas et ceremonias, post Christi mortem, reditum in vitam et abitum in coelum, esse abrogandas, Christiana Ecclesia Apostolorum temporum decreverat, ad audiendum Dei verbum haud congregari Christianos Sabbathi die, verum die Solis, quoniam hoc die in vitam Christus redierat. Quocirca et nos decet hunc diem celebrare" (2).

---

(1) Strinnh. T. III, p. 531. v. Dalin, l. c. c. 7, § 5.
(2) Docuit Gustavus: *at wi böre afsöndra en dag i wec-*

Tum vero etiam hic commemoranda verba, quibus pueros suos pater instituit. Nam si quis aliam, quam in pectore fovet, cogitandi rationem mentiatur, plerumque tamen in familiari cum pueris consuetudine personam, quam adhuc gesserat, exuit. Gustavum vero cum hîc etiam apprehendamus divinae voluntatis, ab humanis additamentis purae, praeconem, non dubitamus a simulatione liberum illum declarare. Modo enim pueros suos adhortabatur, ut constantes essent in conservanda fide atque inter se concordes; nam, ita addere solebat, priore illa si destituti sitis, Deum irritatis; concordia nisi adsit, hominum praeda eritis (1). Modo illos jussit, ut ad bellum suscipiendum lenti essent, ad pacem ineundam parati (2). Modo juvenes regios incitavit, ut superbiam illam ponerent, quae de

kan til at höra, lära och med flit betrakta Guds heliga ord, tacka och prisa Gud för hans wälgerningar, bedja honom om andelig och lekamelig nödtorft sammt anamma Guds Sons Högwärdiga lekamen och blod, til wår tros förökelse och stadfästelse. Judarne i G. T. sammankommo wäl på Lördagen, men som den H. Skrift intygade, at Moses stadgar och utwärtes ceremonier skulle afläggas efter Christi död, upståndelse och himmelsfärd, så hade hela den christeliga Församlingen, strax i Apostlarnas tid, beslutit och stadfäst, at man icke mer skulle bruka Lördagen til at sammankomma och höra Guds ord, utan Söndagen emedan Chr. på den dagen upstod, ifrån de döda. Och altså borde Söndagen äfwen af osz firas och begås. Baelter p. 141.

(1) *Warer ståndaktige*, ita praecepit, *i tron, enige sins emellan. Om i bristen I det förra, så förtörnen I Gud, och genom det sednares wederspel blifwen I ett rof för menniskor.*

(2) *Gören nödde krig, onödde fred — söken friden med allo!*

stirpe sua gloriari solet, quippe quod aliquando homines cuncti pares evadent, nec nisi pietas, sapientia et fortitudo, hominem nobiliorem reddere possunt (1). Modo docuit: res primum sedulo perpendatis, brevi deinceps easdem exsequamini, nihil in crastinum diem differentes, et re perfecta fortiter illam tueamini (2). Modo illos monuit, ut purum verbum divinum, preces et cultum, et ipsi adamarent et aliis persuaderent, ut idem sentirent; quippe quod egregie haec valent ad conservandam animi patriaeque pacem (3). Modo, ut alia taceamus, filii carissimi, inquit, Deo juvante, ut rite institueremini, studui. In his persistatis, ut vestrum aeque ac aliorum commodo consulatis! et cogitetis, non decere, ut regis memoria una cum campanarum sono abeat; sed ut subditorum animis superstes fiat (4).

Ex his satis superque patet, me saltem judice, subditorum institutionem Gustavo curae fuisse cordique; quippe quam et conatibus suis et aliorum opere, quo optimo potuit modo promovere studuit. Superest igi-

---

(1) *Menniska som menniska; då skådespelet är allt, äro wi ock alla lika. Dygd, förnuft och mandom göra adel.*

(2) *I skolen alla saker wäl begrunda, fort werkstella och derwid blifwa skjutande ingen ting til morgondagen — Morgenstund har guld i mund. Dagdrifwaren bort!*

(3) *Alsken derföre sjelfwe och hållen undersåtarne till Guds rena ord, bön och kyrkogång, det ligger stor magt på både för själens och landets ro.*

(4) *Käre barn! Jag hafwer med Guds nåd arbetat på edert tillbörliga upptuktande. Förblifwen sådana till eder och andras fromma! och besinnen, att en konungs minne ej bör löpa bort med klockeljudet, men förblifwa i undersåtarnas hjertan!*

tur, ut videamus, *qua* tandem *ratione Christianorum Suecorum mores emendare conatus sit.* Plane aliam tamen, quam in caeteris ipsius ad reformandam Ecclesiam conatibus, hic obtinere rationem, quis est, qui non suspicetur? Etenim, jubente rege, alia Regiminis Ecclesiastici forma institui potuerat, nec vero minus emendari potuerat subditorum institutio, sed ad regis nutum vita vere Christiana non itidem invalere potuit. In hoc enim regum desinit auctoritas, ut ad vitae integritatem adhortentur subditos, ut variis adhibitis opportunitatibus ad illam quasi hos adducant et vitae pravae effectus puniant; sed quum vita vere Christiana juberi non possit, quippe quae in hominum animis sedem habet, ille vitae Christianae instaurator dicendus est, qui ad illam hortetur, instituta ipsi contraria tollat, alia ad illam promovendam accommodata instituat et poenis idoneis delinquentes in virtutis viam reducere conetur. Gustavum haec omnia egisse brevi exponam. Quum vero supra saepius documenta exhibui, e quibus patet ad vitam Christianam illum adhortatum esse et Ecclesiasticos et Laicos, hîc illa mittamus, ab eo incipientes, quod varia instituta sustulerit, vitae Christianae fere opposita. In quibus Clericorum fuisse auctoritatem quum alibi monui, in censum hic veniunt Clericorum divitiae et coelibatus. Ut enim divitiae superbiae, intemperantiae, aliisque vitiis opportunitatem praebuerant, ita coelibatus ad concubinatum aliaque nefaria facinora Clericos adduxerat. Jam vero diminutae a Gustavo fuerunt Clericorum divitiae, ita ut illo tantummodo fruerentur reditu, quo ad vitam honeste vivendam indigebant; coelibatus autem in dies

magis in desuetudinem abiit, quandoquidem Gustavus Clericis permisit matrimonia inire, imo vero rei favit. Monasteriorum non solum diminuebantur possessiones; sed etiam nobilibus plura in feudum tradebantur, qui, quum parce Monachos et Moniales sustentarent, effecerunt, ut hi claustris exirent atque sibi suisque conjugibus laborando vel docendo victum quaererent. Laicorum tandem mores quod attinet, eo his consuluit, quod abrogari curaverit nonnulla, quae vitiis viam straverant. Quorum unum hoc commemorare liceat exemplum, quod dierum festorum numerum diminui jusserit; qui, ut supra videmus e Concilii Oerebroensis sociorum sententia, *occasionem citius peccandi, quam Deum colendi, subministrant.* Porro vero Gustavus multa instituit ad emendandam Christianorum vitam. Nam, praeter edicta nonnulla, ipsos Suecorum mores spectantia (1), curaverat, ut a pueris inde in scholis Sueci moralem doctrinae Christianae indolem intelligerent. S. enim Cod. versione non amplius erant destituti et quum in Clericorum numerum ii tantummodo reciperentur, qui ad doctoris munus idonei erant, quumque in aedibus sacris ritibus inanibus plerumque tales instituebantur, quales erudiendis cunctis egregie inservire possent, magna ex his redundare potuit utilitas in Christianorum vitam. Tandem etiam emendata disciplina, Clericorum, Monachorum et Laicorum vita non potuit non multum emendari. Clericorum enim a judicio civili immunitas impediverat plerumque quominus

---

(1) Prae aliis edictis commemorandum est, quod de meretricio publicavit interdictum. Rühs, l. c. T. III, L. X, § 205.

in illorum crimina rite animadverteretur. Monachi non tantum ab hoc judicio liberi fuerant, sed illorum multi, exemtionis privilegio gaudentes, ne Episcopi quidem judicio suberant (1). Disciplina autem, quam in Laicos exercebant Clerici, ejusmodi fuerat, ut peccatis potius favere, quam resistere, dicenda est. Postquam vero Clericorum a judicio civili immunitatem sustulerat Gustavus, et decretum fuerat in concilio Oerebroensi, Monachos subesse inspectioni Episcopi loci (2) gravioraque Laicorum delicta ad judicium civile delegari inceperant, haec non potuerant non egregie valere ad emendandam multorum vitam.

Haec autem, quae de Gustavo, subditorum et eruditionem et vitae integritatem curante, diximus, efficiant necesse est, ut majoris illum aestimemus. Nam, nisi alios viri celeberrimi cognosceremus ad emendandam Ecclesiam conatus, praeter illos, qui Regimen Ecclesiasticum spectarunt, facile in his agnosceremus regem, politicis unice studiis hac in re ductum. Quum vero ea etiam curaverit, quae maximi semper in Reformatione habita sunt momenti, Christianorum eruditionem moresque, non dubitamus inter Ecclesiae Christianae saec. XVI Reformatores Gustavum etiam recensere. Non enim facile quis ex his conaminibus argumentum quaerere poterit ad probandum Gustavum, Ecclesiam emendantem, bonorum Ecclesiasticorum desiderio ductum fuisse. Quodsi vero quis sententiam tueri vellet, eum politicis studiis fuisse incitatum, non est

---

(1) Lagerbring, l. c. T. II, c. 14, § 18.
(2) Gerdes, l. c.

quod contradicam, ea tamen studia cogitans, quae, inducta rerum sacrarum instauratione, patriae saluti consulere sibi habuere propositum.

Verum etsi multa, ut vidimus, a Gustavo essent emendata, plurima tamen etiamnunc emendanda erant. Multorum enim animos ad recipiendam puriorem doctrinam propensiores fuisse redditos, negari non potest. Ipse regni Senatus exemplo nobis sit, qui, postquam rex in comitiis Arosiensibus (1544) veram doctrinam Christianam exposuerat, jurejurando interposito, promisit: se religioni Evangelicae semper esse adhaesurum eamque defensurum (1). Quid? quod e Senatus decreto, hac opportunitate proscribebantur nonnullae superstitionis reliquiae, quae hic illic supererant (2). Sed, ut dixi, multa tamen etiamnunc emendanda erant. Etenim Clericorum aeque ac Laicorum institutio, etsi multum emendata, nequaquam talis erat, qualis esse debuisset, si vel unquam Christi doctrina omni sua vigeret vi. Quumque et in Academia Ups. et in caeteris gymnasiis scholisque desiderarentur idonei doctores, Clericorum multi, meliora non intelligentes, antiquae religionis formae adhaeserunt, dum Laici antiquorum rituum tenacissimi erant. Unde in Baptismi administratione Exorcismus (3), salis oleique

---

(1) Gerdes, l. c. p. 329.

(2) v. Dalin, l. c. § 4.

(3) In Olai Petri *Enchiridio*, A°. 1529 edito, haec habetur Exorcismi formula: *Jag beswär dig, du orene ande, wid Guds Faders † och Sons † och dens Helga Andas namn, at du utfar af denna Guds tjenare* (tjenarinna) *som den Helga Andas tempel wara skal, och kän din dom du fule djefwul, lät den rätta och lefwande Gud*

usus (1). Hinc porro in S. Coenae celebratione panis et calicis elevatio, nec non campanarum usus (2); hinc nonnullorum dierum festorum observantia (3), verbo, hinc factum est, quod Ecclesia Suecica quam longissime etiamnunc abesset a simplicitate illa, qua Ecclesiam Christianam cerni desideraremus. Quicunque autem attendat, quam lente plerumque progrediantur homines ad deponendas antiquas consuetudines, non facile ex iis, quae diximus, opportunitatem quaeret contemnendi Gustavum, in rerum sacrarum emendatione lente festinantem. Imo vero hac in re illius admiretur prudentiam et constantiam necesse est.

Caeterum de ratione, qua Gustavus Christianorum Suecorum doctrinam vitamque emendare conatus est, ideoque de ejus hac in re prudentia et constantia, agendum mihi esset, nisi rite sentirem, hanc non recte an-

---

hafwa ärone, lät hans Son J. C. och den Helga Anda hafwa ärona och rym ifrån denna hans tjenare (tjenarinna) *N. förty Gud och wår Herre J. C. hafwer kallat honom* (henne) *til sina nåd, wälsignelse och Dop. Så fly nu bort, du fule djefwul, och haf intet skaffa med denna Guds tjenare* (tjenarinna), *som wedersakar dina werld, och söker efter det Gudi tilhörer.* Baelter, l. c. p. 393.

(1) Etenim in baptizandorum osculis sal imponi solebat, dum presbyter haec pronuntiavit verba: *Gud, som dig skapat hafwer, han uplyse dig, och gifwe dig wisdomsens salt, som din ledsagare wara skal til ewinnerligit lif.* Oleo autem pectus et humeros crucis signo signavit, hanc formulam adhibens: *Gud, som af sine stora miskund dig til Döpelsen kallat hafwer smörje dig med glädjones oljo.* Baelter, l. c. p. 392.

(2) Baelter, l. c. p. 132, 328.

(3) Supra pag. 157. Baelter p. 166.

te explicari posse, quam disquisiverimus et de difficultatibus, quibuscum Gustavo pugnandum fuerit, et de ratione, qua harum vim frangere sit conatus. Quocirca de his videamus.

Gustavus rerum sacrarum emendationem ab adversariorum impetu vindicavit.

Quae de societatis Christianae in Suecia emendatione a Comitiis inde Arosiensibus diximus, ita comparata sunt, ut, ratione habita conatuum Clericorum, Reformationis adversariorum, quos antea observare licuit, non miremur, nunc etiam rerum sacrarum instaurationem multos eosque acerrimos adversarios nactam esse. Qui quum sive Laici, sive Ecclesiastici, essent, de utrorumque moliminibus agendum est, simul vero animadvertamus necesse est pericula, quae Reformationi Suecicae extrinsecus imminebant. Qua tamen in re ita procedendum videtur, ut singulis his Gustavi agendi rationem apponamus, atque exponamus, quo nomine haec laudanda fuerit, vel et vituperanda. Quodsi igitur audiamus regni Senatum, querentem (1) de Gustavi in exsequendis decretis Arosiensibus constantia deque his, quod Monachi et Moniales tam libere a vita monastica desisterent et carnis die Veneris usus admitteretur, mirum sane non accidit, caeteros subditos quam saepissime arma sumsisse ad vindicandas antiquas consuetudines. Etenim brevi hic illic gravissimae

(1) In comitiis Upsaliensibus (1528), Olaus Celsius T. I. p. 373. Strinnholm T. II, p. 521.

oriebantur seditiones, quae, etsi non semper unius religionis causa moverentur, at universe Gustavo, Monarchiam condenti, essent oppositae, vel sic tamen ita cum re religionis erant conjunctae, ut dubio vacare videatur, quin rerum sacrarum emendatio prae caeteris mutationibus Suecos multos ad seditiones movendas allexerit. Ne enim dicamus de seditione, quam Vestrogothiae et Småländiae incolae, duce inprimis Thure Jönsson moverunt (1529), de qua supra dixi (1), attendamus aliam seditionem, A°. 1530 inter Dalecarlos ortam. Rei opportunitatem praebuerat Senatus decretum, quo ad solvendam pecuniae summam, Lubecensibus debitam, regi nonnullae aedium sacrarum concedebantur campanae (2). Quas cum magni facerent Suecorum plerique, ea hac in re prudentia processit Senatus, ut primum ab urbium tantummodo incolis peteret, qui e singulis aedibus sacris campanarum illam, quae maximae esset proxima, regi traderent. Hi enim eas minoris pretii fecerunt; praeterea vero etiam magis intellexerunt, quantopere hoc auxilio aerarium publicum indigeret. Nec igitur multum hi obloquebantur; sed cum hoc tributum nequaquam sufficeret, ideoque Senatus, A°. 1531 Oerebroae convocatus, decerneret, idem ab aedibus sacris ruralibus exigendum esse tributum, frustra Gustavus ad placandos animos in singulas Sueciae partes legatos dimisit et epistolas;

---

(1) Supra pag. 138.

(2) Hinc plerumque seditio, hac de re orta, *Klockekriget* dicitur, de qua v. Dalin, l. c. c. 4, § 15; Strinnholm, T. III, p. 130; Frijxell, c. 37 et 40; Olaus Celsius, T. II, p. 44.

nam, etsi primum ad obediendum faciles se praestitissent Dalecarliae incolae, vel sic tamen deinceps, instigante *Måns Nilsson*, alii campanas vi defenderunt, alii vero, quas jam amiserant, recuperare conabantur. Imo vero eo processerunt, ut Epistolam ad regem darent, quae ita erat scripta, ut » parum abesset," prouti dixit Gustavus, » quin obedientiae, quam olim, jurejurando interposito, ipsi promiserant, renuntiarent" (1). Gustavus regni incolas, qui non tumultuabantur, omni quo potuit modo, sibi devincire conabatur, ceteroquin vero sese gessit, acsi ad seditionem minime attenderet, quo factum est, ut rebelles, otii diuturnitate defatigati et rerum ad vitam sustentandam necessariarum penuria oppressi, regem precibus adirent, qui reis ignosceret. Respondit Gustavus, bello adversus Christianum, amissum regnum inhiantem, inplicatus: » sese, illorum precibus commotum, illos in gratiam denuo et amicitiam recepisse" (2); sed, Christiano A°. 1532 devicto, iter ad Dalecarlos suscepit rex, illorumque duces, quos ipsi indicaverant, capitis damnavit. Qua in re Gustavum haud laudandum existimaverim; nam, si vel hoc ipsi, blandis verbis rebelles decipienti, fuerit propositum, ut patriae saluti consuleret, » justum tamen," ut historici Suecici (3) ver-

(1) *Det bref*, ita scripsit ad Måns Nilsson: *oss nu tillskrefs af Tuna landsting föga bättre är än en uppsägelse på den huldskap och trohet, de hafva svurit oss.*

(2) *Han hade*, ita ipsis respondit, *sett till deras ödmjukka bön och tagit dem åter till vänskap och nåd.* Strinnholm, l. c. p. 160.

(3) Frijxell, l. c. p. 153. *Brott*, ita ille, *kan dock icke wara rätt, om ock nyttigt; och när Swenskarne*

bis utar, » nunquam esse potest delictum, etsi utile sit;" nec eidem assentiri dubito, ubi ita pergit: » Sueci, ubi reverentia gratoque animo recolunt Gustavi, servatoris vitae, ceteroquin inculpatae, memoriam, macula doleant, necesse est, qua vitae splendorem aspersit, datam non conservando fidem."

Erat haec post comitia Arosiensia seditio Dalecarlorum altera, quam tamen propterea priori (1527-1528) (1) praemittendam censui, quoniam haec, utpote ab Ecclesiasticis potissimum mota, eo loco commemoranda videderetur, quo de his, Reformationi se opponentibus, ageremus. Jam vero de illa videamus. Rusticus quispiam, instigante *Sunnanväder*, Nils Sturii, Stenonis filii, nomen mentitus, Sueeos ad seditionem movere conabatur, quocirca atris coloribus Dalecarliae inprimis incolis depinxit regis, aedium sacrarum sibi bona rapientis et Ecclesiasticos, sive e terris suis proscribentis, sive etiam illos interficientis, crudelitatem. Res e voto inprimis ipsi cessit, postquam decretorum Arosiensium argumentum Suecis innotuerat. Tum enim Ecclesiastici multi, antiquae religionis formae tenacissimi, communem cum Pseudo-Sturio rem fecerunt; nec vero minus Monachi, qui sive e monasteriis proscripti, sive sponte illis egressi, in Dalecarliam aufugerunt, religionem antiquam a Gustavi impetu vindi-

---

med wördnad och tacksamhet betrakta sin räddares, den store Gustafs, eljest rena och klanderfria lefnad; då måste de beklaga den fläck, han denno gången satte derpå genom löftesbrott och hårdhet.

(1) v. Dalin, l. c. c. 3, § 14. Olaus Celsius T. I, p. 314. Strinnholm T. II, p. 469; III, p. 7. Frijxell, l. c. c. 23.

caturi. Tandem vero Gustavus, magno stipatus militum cohorte, ad Dalecarlos proficiscebatur; rusticos, aliorum verbis ad seditionem motos, in gratiam recepit, ea tamen conditione, ut, quibus ducti fuissent, duces indicarent, quos, magnam partem Clericos (1), Senatores, qui regem comitabantur, capitis damnarunt. Sed et nunc datam fidem Gustavus violavit. Nam quum evocaret Dalecarlos, reis promiserat libere illos ad conventum esse profecturos, deinde vero libere domum redituros (2). Quodsi vero quis e temporum conditione Gustavum defendendi opportunitatem quaerat, reputet quaeso hîc etiam illud valere: justum non est delictum, etsi utile sit. Eo magis vero dedecori Gustavo haec est agendi ratio, quomagis violando fidem ipse patraverit, quod in aliis vehementer reprehendere solebat.

Singulos autem Ecclesiasticorum ad reprimendam rerum sacrarum, a Gustavo susceptam, emendationem conatus recensere, longum foret (3). Attendendum ta-

---

(1) Frijxell, l. c. p. 118.

(2) *Och*, ita rex promiserat, *hvar någon vore der uppe ibland dem*, *som sig visste brottslig och uti någon måtto förtsett hafva*, *den skulle hafva en fri*, *fälig och christelig lejde*, *att samma Landsting söka med de andra utan fara och der till och ifrån obehindrad komma.* Strinnholm T. III, p. 16. Rühs T. III, L. XI, p. 145 in not.

(3) Ita v. g. Canonici Ups. Laurentium et ob doctrinae Evangelicae studium et ob ignobilem, e qua oriundus erat stirpe, vituperantes, ipsius decretis obedire noluerunt. Gustavus autem, re audita, quinquaginta juvenum cohortem designavit ad Archiepiscopum custodiendum ipsique in matrimonium dedit affinem suam, Elisabetham. Deinceps vero Canonicis refragantibus alios

men est ad ipsos Ecclesiasticos Evangelicos; quippe quorum nonnulli Reformationi nocuissent, nisi strenue ipsis Gustavus se opposuisset. In his prae aliis Olaus Petri, qui non tantum, pro vehementia sua, Reformationem omnibus obtrudere, quam iis persuadere, maluit; verum etiam, ut videtur, majorem, quam par erat, auctoritatem sibi vindicare studuit (1), quumque hac de re Gustavus in Epistola, ad Archi-episcopum data, vehementer quereretur, non dubitavit Olaus, quin publicis orationibus sacris regem aggrederetur, ob divini nominis abusum illum reprehendens, imo vero tyrannum illum vocans (2). Quid? quod parelia, quae in coelo apparuerant, instantis ob regis delicta irae divinae nuntios pronuntiavit (3). Laurentius au-

---

substituit doctrinae purioris vindices. Hallman, l. c. p. 62, 65. Referendum huc, quod Gustavus Ecclasiasticos nonnullos ob antiquae religionis studium munere privaverit, nec in gratiam illos receperit, anteaquam promisissent in posterum sese doctrinae Evangelicae esse adhaesuros. Supra p. 135.

(1) Ita rem se habuisse apparet e Gustavi Epistola, A°. 1554 ad Laurentium data: *Eder*, ita scribit, *drager wäl til minnes, kiäre Biskop Lars, hwad träta emellan osz och eder framledne broder Mäster Oluff för några åhr sedan warit hafwer, uthaf then orsak förnemligasta, at han wille sig mycket företaga och reformere här i Regementet hwilcket hans embete doch icke krafde ey eller wille förståndet tilreckia, at han thet retteligen giöra kunde, han skickade sig ock ofta således emot osz, att wy god rätt och skiäl hafwe haft att låte gå wårt tilbörliga straf uthöfwer honom.* Hallman p. 71.

(2) Edita fuit A°. 1539 oratio sacra: *Emot the grufweliga Eder och försmådelser, som nu allmänneligen brukas.* Hallman p. 84.

(3) *Desza solar*, inquit, *båda et stort straff öfwer ri-*

tem utrum in delicti societatem se dederit, non satis constat. Etsi enim Gustavi, de Clericis Evangelicis querentis, Epistolae ad Archi-episcopum datae sint, vel sic tamen, quum in his nullius criminis accusetur Laurentius, hoc ideo factum, suspicor, quod e Gustavi sententia hujus esset, sive ob affinitatis, quo Olao junctus erat, vinculum, sive, quod verisimillimum est, ob munus archi-episcopale, quo fungebatur, in meliorem mentem illum adducere. Quodsi vero quis autumet, ipsum etiam Laurentium regis sibi contraxisse iram, hujus rei causa in eo quaerenda videtur, quod, Gustavi in rebus Ecclesiasticis auctoritatem aegre ferens, de illa imprudenter questus sit (1). Quidquid vero est, primum de doctorum Evangelicorum agendi ratione apud Laurentium querebatur Gustavus: » ex eo," inquit, » quod populares non rite instituuntur, anteaquam res sacrae emendantur, offensio et seditiones oriuntur; primum doctores doceant, tum demum res sacras emendent, — doctores sitis, non vero domini, — nec credatis unquam nos admissuros esse, ut gladio denuo cingantur Episcopi" (2). — » Suspicabamur populares esse instituendos, non vero obcaecandos et ad seditionem

---

ket, för konungens synder skull. v. Dalin, l. c. c. 6, § 4. Frijxell p. 170.

(1) Aliam quodammodo opinionem Schröckius, l. c. p. 63 exhibet: *Es könnte*, inquit, *also wohl seyn, dasz er nur durch unvorsichtig laute Klagen über die schnell auf einander folgende Einziehung der Kirchengüter und willkührliche Verordnungen des Königs in Kirchensachen, ohne die evangelische Geistlichkeit darüber um Rath zu fragen, gefehlt hätte.*

(2) v. Geijer, l. c. p. 97.

movendos. Nec decet, ut orationes sacrae consistant in calumniis, in ceremonias collatis; sed praecipuis doctrinae Christianae capitibus, quales sunt doctrina de fraterno amore, vita integra, in rebus adversis patientia, al. Christus enim et Paulus obedientiam gubernatoribus praestandam esse docuerunt; Ecclesiastici contra Suecici, divini nominis abusus, qualis hodie obtinet, culpam in regem conferentes, adhortantur populares, ut regi reluctentur. Docet quidem verbum divinum doctores, ut primum clam peccatores admoneant ad vitae emendationem; sed ab eo hîc exordiuntur, ut in orationibus sacris scriptisque, typis evulgatis, publice illos exsecrentur" (1).

Tandem vero, ne in posterum eadem obtinerent et jacturam faceret rerum sacrarum emendatio, vetuit, quominus ad emendandam Ecclesiam quid susciperent, vel typis exprimerent, nisi antea ipse haec examinasset. » Quoniam autem, (ita ad Laurentium scripsit,) tam insipienter in re gravissima progredimini, veto ab hoc inde die quid emendare, vel typis exprimere abs-

---

(1) *Wi hade förmodat, att menigheten borde underwisas, ej hållos i blindhet och uppröras. Predikningar borde bestå ej uti smädelser och utrop emot ceremonier, utan i kärnan af christendomen, i läran om broderlig kärlek, gudeligt lefwerne, tålamod i bedröfwelsen m. m. Kristus och Paulus predikade lydnad mot öfwerheten; Swenske prester åter genströfwighet, gifwande konungen skulden för all den swordom, som gängse är på det allmogen må uppretas. Guds ord bjuder dock att först hemligen warna och förmana till bättring; men här begyntes med uppenbara förbannelser både i predikningar och tryckta skrifter.* Frijxell p. 170.

que nostro consensu. Tu autem hoc cave, Archi-episcope! si saltem molestias a te depellere cupias" (1).

Refert sane haec Gustavi agendi ratio regem, summam sibi in res cunctas auctoritatem conciliantem, verum cum his studiis, politicis fortasse dicendis, emendandae Ecclesiae desiderium tam arcte erat conjunctum, ut hoc ab illis vix dignoscas. Nam, dum ab altera parte Evangelicorum conatibus fortiter restitit, quatenus hi populares ad seditionem pellicere potuissent, ita tamen ab altera etiam parte hos adhortabatur, ut prudenter res sacras emendarent et munere suo, ut scilicet doctores essent, rite fungerentur. Quantopere vero hac in re sibi constiterit Gustavus, nobis apparebit, ubi reputaverimus, Braskio etiam illum vetuisse, ne libris suis Reformationi detrimenti quid afferret. Res sacras emendare ex indole et praeceptis S. Cod. regis pii erat propositum et sive Hierarchiae vindices, sive Evangelici huic proposito refragarentur, nec his nec illis pepercit.

Superest, ut agamus de *periculis, quae extrinsecus doctrinae Evangelicae, in Suecia jam receptae, imminebant. Primum* igitur huc refero Braskii ad vindicandam antiquam Religionis formam conatus. Nimirum hic decreta Arosiensia, quibus et auctoritate et divitiis privabatur, aegerrime ferens, sub visitationis in Gothlandia instituendae praetextu, Dantiscum aufugerat (1527). Qua in urbe degens, non tantum ubivis

(1) *Då i derföre saken så owisligen företagen, så befalle wi, att från denna dagen intet uti reformationen får företagas, intet tryckas, osz oåtsporda och skolen i erkebiskop häruti noga taga eder till wara, derest i wiljen undwika olägenhet.* l. c.

calumnias de Gustavo, Ecclesiam vexante, sparsit, verum etiam ad Lincopienses Epistolas dedit, quibus illos instigavit, ut antiquam doctrinam defenderent. Praeterea vero ad regem etiam epistolas misit, quibus ab ipso arcem Munkebodam expostulavit et a proposito reformandi Ecclesiam eundem avertere studuit. Quum vero in his epistolis decreta Arosiensia injuste facta declararet, Gustavus ita respondit: » In epistolis tuis decreta Arosiensia injuste facta esse affirmas.... sed quod ita ab omnibus agnoscebatur, justum est, non vero injustum, nec temere sumitur, Suecarum legum multas non tam maturo consilio et omnium consensu latas fuisse, ac haec decreta facta fuere. Injustum erat, quod Episcopi donis creberrimis, quibus a principibus aliisque cumulabantur, uterentur, ut regibus resisterent et extraneos principes in regnum inducerent. Injustum erat, quod Episcopi regimini civili se inmiscerent, nec munere suo, quod verbum divinum annuntiare illis praecepit, fungerentur. Injustum erat, quod Clerici, munus suum haud administrantes, reditus severe exigerent, non perpendentes, quid ipsi Laicis deberent. Injustum erat, quod 4 vel 5 homines, una cum improba turba, monasteriorum facultates copiosissimas consumerent. Injustum erat, quod Monachi aliique Ecclesiastici per regnum tot tantaque dispergerent in regem mendacia, prouti in hunc usque diem obtinuit. Haec autem et hujusmodi alia in causa fuere, cur decreta Arosiensia facta fuerint ita, ut his injusta quaeque sint profligata. Nec legibus Suecicis haec obstant, ut perhibes; nam quum illud harum sit propositum, ut profligetur quod injustum est, con-

tra vero justitia conservetur, ad hoc efficiendum decreta Arosiensia facta fuere. Et quamvis primo obtutu legibus Suecicis, prae caeteris autem Ecclesiasticis, obesse videantur, vel sic tamen, re rite perpensa, his non obstant, contra vero cum his conveniunt. Nec insolita res est, ut urgente necessitate in legibus quaedam mutentur; etenim ubivis more receptum est, ut, quamprimum lex quaedam in abusum vertatur ideoque noceat, haec mutetur aliaque feratur, quae utilis esse possit, cujus rei non tantum exempla exstant creberrima in Imperatorum et Pont. Rom. legibus; sed idem in Suecia etiam factum esse dubio vacat. Quodsi autem haec decreta in Pont. vestrumque commodum facta fuissent, facile argumenta invenisses ad illa defendenda, si vel maxime cum legibus Suecicis pugnassent... Quamdiu causa vestra vinceret, ita ut pro libitu oves, curae vestrae commissas, mulgere, tondere et mactare possetis, praesto ipsis aderatis; ubi vero verbum divinum vigere coepit, vobisque praecepit, ut Christi oves nutriretis et vetuit illas tondere vel mactare, fugam concepistis." Una vero cum hac Epistola aliam ad urbis Dantisci magistratum dedit, qua illum adhortabatur, ne Braskio, regem suum calumnianti, fidem praestaret (1). Quam longissime autem abesset ab exaudiendo Braskio, antiquae religionis conservationem rogante, multis probare non opus est, quum ea, quae hoc capite narravimus, satis superque illud doceant.

Alterum vero, quod Reformationi Suecicae extrinsecus imminebat, periculum creavit liber *Interim*, qui ju-

(1) Strinnh. T. II, p. 511. v. Dalin, l. c. c. 3, § 26.

bente Imperatore, a Pflugio, Sidonio et Agricola conflatus, Germanis fidei formulam praescripsit, quae ab ipsis recipienda erat, donec Concilium Oecumenicum res inter Evangelicos et Romano-Catholicos controversas dijudicasset. Quum vero, ut res est notissima, in hoc libello doctrina Romano-Catholica, magnam saltem partem, agnosceretur, multi Germaniae Principes illum in terras suas recipere recusarunt (1). Idem autem libellus A°. 1549, sive publica Caesaris aliorumve auctoritate, sive privata (2) in Sueciam allatus fuit. Quod quam primum Gustavo innotuisset, Archi-episcopum jussit doctrinam, quae hoc libro continebatur, examinare; ne emendata religio detrimenti quid caperet. Hic, libello examinato, ad fratrem Olaum eum misit, qui aeque ac Bothwid, Episc. Strengn., Henricus Arosiensis et Eric Svart, Laurentio, hunc libellum verae doctrinae Christianae noxium habenti, assentiebatur. Deinde vero Upsaliae Concilium convocavit Laurentius, quo in conventu cum Ecclesiastici declarassent, libello Interimistico doctrinam contineri, a Christi doctrina abhorrentem, hanc fidei formulam rejecit Gustavus et Imperatorem hac de re certiorem fecit. Quod eo majoris ducimus, quum vera videatur Dalinii (3) animadversio, quod Gustavus vehementer hoc tempore desideraret, ut sibi cum Imperatore conveniret. Etenim Russi bellum parare videbantur (4); lites cum Dania

---

(1) De libelli origine, argumento, caet. Schröck, l. c. T. I, p. 674.

(2) Hallman, l. c. p. 108. Thomaeus, l. c. p. 257. v. Dalin, l. c. c. 7, § 18. Gerdes, l. c. p. 333.

(3) l. c. c. 7. § 18. (4) l. c. § 16.

ortae fuerunt gravissimae de regni insignibus (1), Lubecensibus commercium in Suecia interdictum fuit (2), Albertus e Meclenburgia regnum Suecicum inhiavit (3) dum in Belgio et prope Albim belli apparatus cernebantur, qui quo tenderent incertum erat (4). Itaque ex his apparet, Gustavum non unice politicis studiis ductum fuisse, contra vero firmissimum ipsi fuisse, quod aliquando Småландiae incolis declaravit: » Regia me dignitate et possessionibus omnibus privare possitis, ab uxore me mea puerisque meis me separare, quin imo e vita me tollere, sed, quoad vivam, puriorem verbi divini cognitionem eripere mihi nunquam poteritis" (5).

Ut vero Gustavus pericula extrinsecus *Reformationi* Sueciae imminentia avertere studuit, ita *firmum* huic *praesidium parare conabatur*, *ambiendo foederis Smalcaldici societatem*. Etenim Principes nonnulli Germaniae, nec non civitates quaedam, Smalcaldiae A°. 1531 foedus inierant ad vindicandam puriorem doctrinam (6). Quum igitur Pont. Rom. A°. 1537 Concilium convocasset Mantuense, quo omnibus in Ecclesia Chr. dissensionibus finem imponere ipsi erat propositum, prin-

---

(1) l. c. § 17. Frijxell c. 57. (2) l. c. § 15.
(3) l. c. c. 6, § 11; c. 7, § 7, § 19. (4) l. c. c. 7, § 19.
(5) *I kunnen drifwa osz utur wår Konungsliga Thron; I kunnen skilja osz ifrån all den egendom wi innom detta Rikets gränsor ögom; ifrån Hustru och Barn; ifrån lif och lefwerne; men ifrån Guds Heliga Ords rena kännedom, skola i osz aldrig skilja så länge wårt hjärta är helt och wår blod är warm.* Olaus Celsius T. II, p. 564. v. Dalin, l. c. c. 8, § 37. Frijxell, l. c. p. 186.
(6) Schröck, l. c. p. 507.

cipes civitatesque Smalcaldico foedere juncti non tantum Concilium recusarunt verum etiam libellum (1) confici curarunt, quo causas indicarunt, quibus impediebantur, quominus huic Concilio se submitterent. Ut hunc libellum, una cum Melanchthonis epistolis, ad varios Europae reges principesque miserant, ita etiam legati Johannis Frederici, Saxoniae Electoris, et Philippi, Hassiae Landgravii, Holmiam venerunt, Gustavum rogantes, ut hanc Principum excusationem legeret et una cum his doctrinam Evangelicam defenderet. Respondit Gustavus: » Pro certo habeatis nobis summae laetitiae et voluptati esse, quod tam constanter, fideliter et sollicite doctrinam Salvatoris nostri J. C. ad totius orbis christiani commodum foveatis. Neque nos minus, quam D. V., evangelicae illi doctrinae per gratiam Dei dediti sumus et manebimus. Ab illa (Deo juvante) neque Pontifex, nec alius quisquam, nos abducet, si Papa cum complicibus suis aliquid contra eam machinaturus est, id nos, corporis et opum summis viribus vobis juncti, amoliri conabimur, neque nos aliter geremus, quam christianum regem decet" (2). Quibus verbis facta deinceps junxit, quum A°. 1540, foederatis offerret 4000 peditum auxilium, si vel eo aliquando indigerent (3).

Interea vero Christianus III, Daniae rex, Gustavum adhortabatur, ut foederatis se jungeret. Qui autem,

---

(1) Exstat in Bretschn. *Corp. Reform.* T. III, p. 313.

(2) Seckendorf, *Comment. Hist. et Apol. de Lutheranismo*, Lib. III, S. XVI, § 52, p. 147. v. Dalin, l. c. c. 6, § 1.

(3) Seckendorf, l. c. S. XXI, § 80, p. 303.

etsi satis propensus ad ineundam hanc societatem, vel sic tamen conditiones ante cognoscere cupiebat, quibus in foedus celeberrimum recipi posset. Neque tamen hoc tempore e voto ipsi cessit. Etenim quum multi in Germania Gustavum calumniarentur de eo, quod, pro sagacitate sua, non omnes simul aboleret ritus superstitiosos et doctores Evangelicos, aeque ac illos, qui Hierarchiae fuerant addicti, reprehenderet et puniret, illum hae calumniae habuerunt effectum, ut principes foederati Sueciae regi diffiderent, et Lutherus e re sua esse putaret, epistolam ad illum mittere, qua ipsum adhortaretur ad constantiam in doctrina Evangelica et ad societatem cum Smalcaldicis (1). Gustavus contra in responso, Luthero dato, id vehementer querebatur, quod ipsum Germaniae principes negligerent, etsi eandem fuisset, ac illi, professus religionem, et saepius declarasset, se proclivem esse ad foedus cum illis ineundum. Simul vero a Luthero rogavit, ut hic rem suam apud Smalcaldicos ageret (2). Deinceps vero ipse ad Electorem et Landgravium epistolam dedit; qua ipsis affirmasse dicitur (3): » sibi nihil laetius et acceptius esse, quam ut per illuminationem Dei et operationem Spir. S. praedicatio verbi Dei puri et salvifici ubique magno cum fructu propagaretur, superatis, quae superstitiosi objicerent, obstaculis; se etiam, ut Principem Christianum et Ecclesiae Catholicae membrum, omni studio curasse, ut id in regno suo fieret, neque

(1) Seckendorf, l. c. S. XXIV, § 91, p. 571. nec tamen hanc epistolam apud de Wette, l. c. inveni.

(2) Seckendorf, l. c.

(3) Seckendorf, l. c.

dubitare, quin bonum hoc adversus insultus hostium auxilio Dei constanter obtineri possit. Cum tamen ab adversariis vis et dolus metui debeat, justum, pium, christianum sibi videri et ita in animo suo decretum esse, ut concordia et foedus ad defensionem religionis incrementa accipiat, ideoque requirenti hoc Christiano, Daniae regi, affini, fratri et vicino suo, respondisse, se proclivem esse, ut aequis conditionibus foederi Evangelico accederet." Quocirca a Principibus petiit: » ut sibi occasionem praeberent et indicarent ad mittendos legatos, hoc de negotio acturos." Quae Gustavi conamina illam habuisse videntur vim, ut, in conventu foederatorum, A°. 1543 Smalcaldiae habito, hi inclinarent ad recipiendum in suam societatem Sueciae regem. Hic vero, cum ea tantummodo conditione in foedus istud reciperetur, ut centum florenorum millia ad sumtus necessariae defensionis Brunsvici deponeret et ad expensas annuas quinque millia contribueret (1), his conditionibus subscribere differebat (2). Affirmat quidem Gerdesius (3), provocans ad Seckendorfii testimonium, Gustavum hoc anno in societatem foederis Smalcaldici fuisse receptum, quod tamen quum in hunc sensum accepisse videatur, acsi Sueciae regi non tantum haec societas fuerit oblata; sed hic etiam in foederatorum numerum se referri passus sit, equidem ab eo discedendum esse puto, si saltem Dalinius malae non sit accusandus fidei, narrans (4), A°. 1545, Gustavi ad Daniae regem datas fuisse

(1) Seckendorf, l. c. S. XXV, § 102, p. 418.
(2) v. Dalin, l. c. c. 7, § 12.
(3) Gerdes, l. c. p. 327. (4) l. c.

epistolas, quibus affirmavit se sedulo rem esse deliberaturum.

Quidquid vero est, ut in his Gustavus regem se gessit et patriae amore et doctrinae purioris studio ductum, ita prudentiam et constantiam suam egregie declaravit. De quibus fusius agendum mihi hoc loco videtur. Non facile enim quis, ut supra animadverti, Gustavi et prudentiam et constantiam rite exponere poterit, nisi ob oculos habeat quot, quantaeque ab ipso devincendae fuerint difficultates. Pugna enim cum Ecclesiasticis, Hierarchiae vindicibus, Gustavo agenda erat; qui cum divitiis et auctoritate non tantum, verum etiam popularium amore, multum valerent, in his sane haud faciles nactus est adversarios. Quousque autem horum olim valuisset auctoritas, rex et historiae testimonio et propria sua experientia rite cognovit. Ipsam porro gentem Suecam quod attinet, erat haec antiquarum consuetudinum tenacissima, et his consuetudinibus vindicandis avitam se vindicare libertatem sibi videbatur. Quid? quod ipsi doctores Evangelici subinde graves regi pararunt difficultates. Hinc querimoniae saepius repetitae, gravissimae hinc dissensiones, bella cruenta et instans saepe periculum. Verum enim vero regno quum renuntiare maluerit, quam purioris doctrinae cognitione privari, a primis inde regiminis annis ad vitae usque finem, ea in rerum sacrarum emendatione elaboravit constantia, ut, e vita discedens, firmiorem illam posteris suis relinqueret, quam quae principum aliorumve conatibus e Suecia expelli posset. Egregie autem eo contulit Gustavi prudentia; quam fere nunquam in illo desideramus. Hierarchiae

enim propugnatores modo admonuit, ut emendarent, quae in Ecclesiam irrepserant vitia, et ut susciperent, quae ab ipsis perficienda erant, si vel rite munere suo fungi vellent; modo eos reprehendit; poenas modo minatus est, modo his illos affecit. Doctores autem evangelicos in rebus sacris emendandis justo subinde vehementiores meliora docuit. Adhortabatur illos, ut subditos primum instituerent, tum demum Ecclesiae vitia emendarent. Jussit illos modo, ut prudenter rem suam agerent; modo reformare vetuit, imo vero Reformatione abutentibus fortiter restitit. Populares ut instituerentur, curavit, quin imo ipse Reformationis et necessitatem et indolem et utilitatem ipsis explicuit. Delinquentes modo monuit, modo reprehendit, modo vi armisque ipsis se opposuit, modo vero etiam a puniendo abstinuit. Verbo ut defungamur, tam prudenter res sacras emendare studuit, ut non facile quis dicat, utrum ob prudentiam magis, an vero ob constantiam, admiratione nostra dignus sit.

Exposuimus Gustavi in reformanda Ecclesia Suecica agendi rationem. Nec est, quod alia hisce addamus. Brevi enim diem obiit supremum Gustavus. At vero ipsius vitae ultimi anni et bellis, cum Russis gestis, et dissensionibus, ipsum inter et Daniae regem, et calamitatibus domesticis, ita erant repleti, ut virum, forti animo plerumque haec omnia ferentem, subinde ita depresserint, qui avide mortem exspectaret. » A Deo hoc enixe rogamus,'' ita ad Ericum filium scripsit,

» ut e vita nos discedere patiatur, quomagis immunes evadamus tristitia, qua illi animum nostrum sollicitant, qui solatium nobis adferre debuissent" (1) Animi moestitiam modo excepit vehementia, tranquillitas modo. Decrevit interea valetudo. Supremum obierant diem amata conjux, amici in rebus incertis certi, unicus fere Gustavus supererat. Ineunte anno 1560, e corporis infirmitate ultimum hunc sibi futurum praesagiebat (2). Nec fefellit praesagium. Postquam enim in comitiis Holmiensibus (3) gratias egerat subditis, pro sincero, quo ipsum amplexi fuerant, amore, iisque valedixerat, aegrescebat. Pueros adhortabatur, ut inter se essent concordes et constantes in profitenda et vindicanda doctrina Evangelica, ut ipsi ignoscerent omnes, quoscunque unquam offendisset, enixe rogavit — tandem vero ipse constantiam suam in profitenda religione vere Christiana declaravit (4) et leniter extre-

---

(1) *Wi bedje Gud, att han wille hafwa osz af denna werlden på det wi måge förskonas från sådana bedröfwelse af dem, som skulle osz mest hugswala och trösta.* Frijxell p. 211.

(2) *Detta år*, inquit, *blifver mit sidsta: dem, som så gerna spå af stiernorne, behöfver jag icke: jag känner planetarne i min kropp.* v. Dalin, l. c. c. 8, § 31.

(3) Hujus orationis partem describere juvat: *Det är ju et Guds werk, at jag likasom en David utur Herda-kojan är upletad, framhafd och ändteligen smord til en regegerande Konung öfver detta Rike... Gud har warit min hjelp... Har jag uti min tid något godt kunnat åstadkomma, käre Undersåtare, gifwen derföre Gudi äran men hvad jag af människelig swaghet felat, det hörer mig til, och alt sådant måsten i mig för Christi skull förlåta.* Olaus Celsius, l. c. p. 353.

(4) Tremente manu scripsit: *En gång bekändt och dervid*

mum efflavit halitum, supremo judici rationes redditurus de imperio, quo hic illum ornaverat (1).

Hunc vitae exitum vir habuit, qui inter homines sui aevi illustres honorificum obtinuit locum. Subditorum multi, ut ipse ajebat, severum illum nuncuparunt regem, at evenit, quod praesagiverat. — Gustavi memoria oblivione non est deleta; ipsius facinora dijudicavit posteritas gratoque illum ad hunc usque diem admiratur animo (2).



EPILOGUS.

Expositis Gustavi ad reformandum Ecclesiam Suecicam conatibus, argumento nostro convenire videtur, ut singula contrahamus, quomagis nobis appareat, qualis quantusque vir fuerit Sueciae rex. Ut enim e singulis

blifvit eller hundrade gånger taladt. — — v. Geijer, l. c. p. 161.

(1) Ita ipse in comitiis Holmiensibus: *Min kropp är mig den säkraste bodbäraren ..., at jag innan kårt skal träde under den stränge Ofwer-Konungens åsyn, til redogörande för den härliga men förgängeliga Swenska Kronan jag burit.* Olaus Celsius, l. c. p. 355.

(2) *Jag wet*, inquit, *at jag i mångas tanka har warit en hård Konung; men de tider skola dock komma, då Sweriges barn skulle gärna rifwa mig up ur stoftet, om det i deras magt stodo. Ja! då de skola erkänna hwad de nu icke wilja finna; ty jag wet wiszt, at mit minne icke blir så kårt som min lifstid, och at mina gärningar af en tacksam efterwerld skola skärskådas.* Olaus Celsius, l. c. p. 354.

Gustavi vitae periodis, singulatim spectatis, efficere conabamur, quid de ipso, res sacras in Suecia instaurante, judicandum sit, ita horum omnium Conspectum exhibere, haud supervacuum videtur.

Et *primum* quidem jure meritoque ex iis, quae disputavimus, efficere nobis videmur, Gustavum Ecclesiae Suecicae *instauratorem* esse dicendum. Nam, etsi multi rerum sacrarum in Suecia instaurationis laudem in Olaum et Laurentium Petri conferre solent, neque nos negamus, duumviros hos egregie ipsi consuluisse, praecipuas tamen laudes Gustavo tribuendas censemus. Tota autem causa quum a notione pendet, quam quis de Reformatione sibi informet, haec qualis e nostra sit sententia, definiendum est. Quam ob rem ipsius vocis vim attendamus. Quae sane alia esse non potest, nisi ea, qua Ecclesiam reformasse ille dicatur, qui instituto, *Ecclesiae* nomine dicto, antiquam formam restituat. Ecclesiae vero, quippe societati religiosae et morali, nemo antiquam restituisse formam dicendus est, nisi qui et ejusdem regimen et sociorum doctrinam moresque hoc nomine curet. Quae cura cum de Ecclesia *Christiana*, sive ejusdem particula, adhibeatur, Reformatoris Ecclesiae Christianae nomine qui dignus esse velit, Regimen, doctrinam et mores, quoad poterit, e Christianae doctrinae sententia instituat, necesse est. Quae cum ita sint, Gustavum Reformatoris Ecclesiae Christianae Suecicae nomine dignissimum esse, nemo est, qui non videat. Sive enim spectemus Regimen Ecclesiasticum, sive attendamus Christianorum doctrinam moresque, Regem celeberrimum Ecclesiae Reformatorem sese praestitisse, facile nobis patet.

Etenim Gustavus Pont. Romanorum in Ecclesia Suecica auctoritatem imminuit, quin imo obedientiae, ipsis praestandae, renuntiavit. Quod, ut e singulis Gustavi conatibus, Pontificum legibus, sive decretis, oppositis, satis probatur, ita singulatim apparet ex epistolarum, quod Gustavo cum Pontifice fuit, commercio. Rex enim non solum Jus Canonicum, auctoritatis papalis praesidium, ex Ecclesia Suecica proscripsit, verum etiam Pontifici, ipsum jubenti, obedire recusavit. Cujus quidem rei exempla historia nobis non suppeditat creberrima; sed quum facile hoc ex eo explicari possit, quod Pontifices hoc tempore multarum rerum cura detinerentur a curanda Ecclesia, satis longe a curia Romana remota, unum, quod retulimus exemplum (1), ratione simul habita singulorum Gustavi conatuum, sufficit ad probandum, Gustavum, quippe auctoritatem papalem ex Ecclesia Suecica proscribentem, Reformationem induxisse.

Ut vero hac parte Ecclesiam emendavit, ita idem egit, quum caeteros Ecclesiasticos et Monachos ea privaret auctoritate iisque divitiis, quae a S. Cod. sententia plane abhorrebant. Plurima antea hujus rei commemoravi exempla. Quae si colligimus, Gustavum modo animadvertere licet, Clericorum et Monachorum a tributis immunitatem tollentem, modo vero eundem cernimus, illorum facinora judicibus civilibus judicanda committentem. Nunc, ut possessionum catalogos ipsi traderent, jussit; jam vero instituta abolevit, e quibus bona Ecclesiastica originem suam duxerant. Modo a

---

(1) Supra pag. 63.

Monachis Monasteria, modo vero etiam ab Episcopis arces expostulavit. Alios ad munera Ecclesiastica vocavit, eodem vero honore indignos pronuntiavit alios. Verbo, auctoritate, privilegiis juribusque, quibus Ecclesiastici et Monachi valuerant, eosdem privavit, illud agens, ut efficeret, quod doctorum potius, quam gubernatorum, munere Ecclesiastici et Monachi fungerentur. Cum hac autem re quum arcte conjuncta esset Disciplina Ecclesiastica, hanc etiam emendavit Gustavus. Etenim quum antea, ut vidimus, Ecclesiastici non nisi Ecclesiasticorum judicio subessent, simul vero Laicorum delicta plurima judicarent, rex celeberrimus haec ita mutavit, ut Ecclesiasticos, in rebus civilibus delinquentes, ad forum civile delegaret et Laicorum facinora pauciora ipsorum judicio submitteret. Praeterea vero libertatem ipsis eripuit, qua, quaecunque vellent, delicta judicare solebant, eaque pro libitu puniebant. Quibus omnibus ut apparet, Gustavum disciplinam Ecclesiasticam multis nominibus emendasse (1), ita simul probatur, eundem hac etiam parte Reformationi favisse.

Haec autem ipsa egregie jam valuisse ad emendandam Christianorum doctrinam moresque, dubio majus est. Verum enim vero has singulari etiam cura amplexus est Gustavus. Saepius enim Ecclesiasticos monuit, ut Laicos rite instituerent; hos vero adhortabatur, qui et semet ipsos et pueros suos institui paterentur. Ipse autem iisdem exemplum praebuit lucu-

---

(1) Equidem non video, quo jure hanc sententiam negaverit Thomaeus, l. c. p. 270 scribens: *Kyrkotukten wann icke i renhet.*

lentissimum, quippe quod epistolis, edictis, orationibusque subditos suos instituere conabatur et optimam in puerorum eruditionem impendit curam. Praeterea doctrinam, in Suecia receptam, publicae virorum doctorum disquisitioni submisit et hanc per omne regnum evulgavit, ita ut, quicunque vellent rem attendere, dijudicare possent, quid Christi doctrinae conveniret, quid vero ipsi obstaret. Porro etiam scholas emendavit, ex aliis Europae regionibus viros doctores ad praeceptorum munus in Suecia invitando. Quid? quod juvenes nonnullos alibi, inprimis in Germania, suppeditatis ipsis sumtibus ad rem necessariis, instituendos curavit, et sive exemplo suo, sive etiam monitis, aliis persuasit, ut idem agerent. Inprimis autem hac in re ea valent, quae diximus de Gustavo, S. Cod. versionem et editionem curante. Nam etsi priora ad rem gravissimam perficiendam conamina felici caruissent successu, vel sic tamen in his non substitit, contra vero eandem deinceps viris, operi perficiendo aptioribus, mandavit.

Ne tamen quis putet, Regem eatenus tantummodo doctrinae Christianae emendationem curasse, quatenus nonnulla instituit, quae huic deinceps inservire possent, et quatenus subsidia attulit, quae ad emendandam doctrinam valere possent, animadvertere juvat, eum ipsam adeo doctrinam vitiis purgare conatum esse. Quod ne ita universe dictum videatur, exemplo sint, quae de vera religione, amore erga Deum proximosque, non vero ritibus inanibus, ut aqua lustrali, cerae, palmarum, candelarum consecratione, Sanctorum adoratione, missis pro mortuorum animis, aliis absol-

venda, monuit in comitiis Arosiensibus (1544) (1), quaeque de vita vere Christiana variis opportunitatibus amicos et pueros docuit (2).

Morum autem emendationem quod attinet, hanc non modo eo curavit Gustavus, quod aboleverit nonnulla, vitae integritati opposita, aliaque instituerit ad hanc promovendam egregie accommodata, verum eandem decretis sermonibusque Ecclesiasticis, aeque ac Laicis, quam saepissime commendavit. Et si vel Thomaei testimonium, scribentis (3): » virtutem vere Christianam, ac antea, rarissimam fuisse," verum sit, in Gustavi vituperationem hoc cedere non potest, quippe qui optima, qua potuit, ratione, efficere conatus est, ut ipsi studerent cuncti.

Quibus quum satis superque probatur, Gustavo Ecclesiae formam externam et internam conditionem curae fuisse cordique, superesset, ut indicaremus, ipsum Ecclesiam e doctrinae Christianae mente emendasse, quomagis appareret Ecclesiae *Christianae* Reformatoris nomine dignum illum esse. Verum quum ea, quae perfecit, universae Reformationi Ecclesiae Christianae, quae saec. XVI obtinuit, ita propria dici possint, ut, qui demonstraverit illam convenire indoli religionis Christianae, idem de Ecclesiae Suecicae Reformatione demonstrasse censendus est, hic repetere, quae ab aliis auctoribus, Reformationem ab adversariorum impetu vindicantibus, dicta sunt, non lubet. Quocirco sufficiat ad illorum scripta, quae magno numero exstant, delegare. Singula autem si conjungamus, nullum

(1) Supra pag. 159. (2) Supra ibid. (3) l. c.

nobis superest dubium, quin, qui ita Ecclesiam emendare conatus est, et emendavit revera, cum quod ad externam ejus formam, tum quod ad internam conditionem, Ecclesiae Christianae Reformatoris nomine merito insigniatur. Vel sic tamen alia eaque gravior oritur quaestio: Utrum Gustavo, an vero Olao et Laurentio Petri, praecipuae rerum sacrarum emendationis laudes sint tribuendae? Ad quam quaestionem ita respondendum videtur, ut, duumvirorum conatus haud parvi aestimantes, Gustavum tamen prae ipsis Reformatorem nuncupemus. Postquam enim illi, in patriam reduces, indulgentiarum nundinationi aliisque rebus superstitiosis se opposuerant, deinceps, non tantum annuente et adjuvante, sed vero etiam auctore et suasore Rege, rem gravissimam egerunt. Nam, sive illos nobis proponamus, coram juventute et plebe de rebus sacris disserentes; sive illos ob oculos habeamus, cum doctrinae antiquioris vindicibus de rebus controversis publice litigantes; sive illos cogitemus, antiquas nonnullas consuetudines abolentes, sive observemus, quantopere scriptis nonnullis Reformationi faverint, simul animadvertamus necesse est, Gustavum iis illos praefecisse muneribus, quibus Ecclesiam emendare potuerint eundemque quam saepissime auctorem iis exstitisse, qui Ecclesiam hac illave parte emendarent, et praeterea eum conatus illorum vindicasse ab adversariorum impetu, quin imo eosdem promovisse. Quae majorem etiam accipiunt vim, si attenderimus, duumvirorum conatus vix quidquam valituros fuisse, nisi rex ipsis favisset. Alia enim in Suecia obtinuit rerum conditio, quam in Germania aliisque Europae

regionibus observare licet. Nam in Germania et alibi ita variis opportunitatibus Reformatio praeparata fuerat, ut multi avide illam exspectarent, eamque a Luthero inceptam amice exciperent. Quodsi igitur in Germania sive Ecclesiastici, sive Laici, Lutheri conatus comprimere conati fuissent, non facile tamen propositum fuissent assecuti. Exemplo sit Belgium nostrum, quo in dies Reformatio majores fecit progressus, etsi Hispaniae Reges ipsorumque in patria nostra vicarii, conjuncto opere, creberrimis iisque severis decretis, nec vero minus dirissimis poenis, excrescentem, quam dixerunt, haeresin exstirpare conarentur. Belgarum enim animi ad recipiendam Reformationem ita erant praeparati, ut neque arma parata, nec extructi rogi, ex his eandem evellere potuerint. Non eadem vero in Suecia viguerunt studia. Sueci enim, ut vidimus a Reformatione hoc tempore alieni potius, quam ad illam excipiendam praeparati dicendi erant. Quodsi igitur Gustavus Olao et Laurentio Petri, Reformationem inducentibus, restitisset, dubium non est, quin, assentientibus ipsi cunctis, res e voto cessisset. Et licet negandum non sit, duumviros celeberrimos inprimis desudasse in purganda doctrina evangelica a labe, qua infecta antea fuerat, plurima tamen illorum ad hoc peragendum conamina, Gustavi sive adhortationi, sive auxilio, originem suam vel felicem debuerunt successum. Praeterea vero mutationes, quas hoc tempore subiit Regimen Ecclesiasticum, a Rege potissimum profectae fuerunt. Quibus addendum tandem est, Reformationem Gustavo debuisse, non precariam his temporibus in Suecia sibi fuisse conditionem, sed publica regni gubernatorum auctoritate suffultam.

Jam vero postquam vidimus, quo jure Gustavum Ecclesiae Suecicae Reformatorem habeamus, ratio attendenda est, qua res sacras Gustavus emendaverit, ideoque colligenda sunt, quae passim monuimus. Quod si fecerimus, facile apparet, eo modo Regem hac in re processisse, quo, exposita ipsius institutione, ipsum processurum esse, suspicari licebat. Ea enim viri celeberrimi fuerat institutio, quae ab una quidem parte odio erga Clericos, politicam aucteritatem inhiantes, sed ab altera etiam parte pietatis justitiaeque sensibus ipsius animum imbuerat, quaeque, fortitudine aeque ac perspicacia ipsum donans, constantem et prudentem ipsum reddiderat. Quae si attendamus, mirum non accidit, easdem etiam in Gustavo, res sacras emendante, virtutes elucere. Nec tamen, quae retulimus, exempla singulatim repetere juvat. Quocirca animadvertere sufficiat, nos, rationem, qua Rex celeberrimus Ecclesiam reformavit, attendentes, dubios haerere, utrum ipsius pietatem et justitiam magis, an vero prudentiam et constantiam, admiremur. Quod tamen non ita intelligatur quaeso, acsi statuerem, nihil hac in re esse, quod Sueciae Reformatori dedecori sit. Nam quin justo vehementius idem subinde egerit, dubitari nequit; quin imo, injuste ipsum nonnunquam processisse, argumentis satis certis probari potest.

Propositum autem, quo singula Gustavi conamina tetenderunt, idem fuit, quod ex ipsius institutione augurandum erat. Ut enim Cap. I vidimus, Gustavi institutio ita fuerat comparata, ut et amore erga patriam, quodque cum hoc arctissime conjunctum erat odio in Clericos, et doctrinae purioris

cognitione, quodammodo saltem imbueretur. Gustavum autem odio erga Clericos, regum Suecorum auctoritati infensos, ductum fuisse, quis est, qui non videat? Satis enim superque hoc docent et ipsius ad illos habiti sermones, et, quas ad nonnullos dedit, Epistolae; et ipsa, quorum multa retulimus, facta. Quod si quis vituperare velit, reputet simul, quaenam eo tempore rerum fuerit conditio, qua observata, si vel laudandum hac in re non fuisse Gustavum affirmemus, excusationem tamen hinc petere non dubitamus. Erat enim pessima Clericorum conditio. Quae cum eo imprimis appareret, quod patriam, quam auctoritatem, perdere maluerint, non potuit non Gustavum, patriae libertati salutique studentem, vehementer offendere. Imo vero, quum Ecclesiastici illud agerent, ut sive Danorum vi, sive Suecorum seditionibus, ipsum regno privarent, Gustavi animus non potuit non in dies ab ipsis abalienari. Ut autem e Gustavi erga patriam amore explicari potest, ipsum odio erga Clericos ductum fuisse in emendandis rebus sacris, ita ex eodem amore explicandum videtur, quod avide subinde opportunitatem Clericorum bona sibi vindicandi, arripuerit. Patriae enim, quam recuperaverat, libertatem vix ac ne vix quidem conservare potuisset, nisi ingentibus Clericorum divitiis aerarium publicum replevisset. Bonorum vero Ecclesiasticorum desiderium in causa fuisse, cur res sacras emendaret, non nisi paucissimis opportunitatibus apparuit. Nam quum ea sibi vindicaret bona, ad quorum possessionem justi ipsis deerant tituli, ex aliis etiam studiis, quam ex horum bonorum desiderio, idem explicari posse, longa expositione non indi-

get. Verum, licet non negemus Gustavum, Ecclesiam reformantem, politicis studiis ductum fuisse, vel sic tamen cuivis etiam dubio majorem putamus sententiam, qua his studiis alia, eaque religiosa, juncta fuisse statuitur. Quae fortasse ita secum invicem coaluerunt, ut Reformationem Gustavus propugnaverit, quoniam illam patriae saluti inservire censuit; licet nobis persuasum sit, certi quid hac de re statui non posse.

His autem, de Ecclesiae Suecicae Reformatore dictis, pauca quaedam de ipsius reformationis *indole* addamus. Quam ut rite exponamus attendendum est et ad Regimen Ecclesiasticum et ad doctrinam, quae, inducta Reformatione, in Suecia invaluerunt.

Quam igitur non Theologus, uti alibi, verum homo politicus, quin adeo Rex, induxit Reformationem, politicum retulit colorem, quod in Regiminis Ecclesiastici conditione inprimis apparet. Et hac potissimum nota discernitur illa a Reformatione, quae eodem tempore in Germania invaluit. Quippe Regimen ecclesiasticum inprimis curavit et ita quidem instituit, ut politicam referret rationem. Vim vero in illo constituendo exercuit. Regimen ecclesiasticum, quale antea in Ecclesia Latina fuerat, nam non nisi pedetentim ex antiquiore Regiminis forma nova eaque emendata prodiit. Quo factum est, ut auctoritas, quae Clericorum antea fuerat, politicis, ipsi adeo Regi, non amplius vero Ecclesiae cederet. Vigente enim in Suecia Hierarchia, summam sibi in res cunctas auctoritatem vindicare conati fuerant Clerici. Quocirca Gustavus, Monarchiam condens, eorundem studiis restitit, nec tamen unice id egit, ut res civiles ab illorum auctoritate immunes

praestaret, verum etiam summam sibi in Ecclesia auctoritatem competere affirmavit, eamque revera exercuit. Archi-Episcopus autem et Episcopus Evangelici regnandi Clericorum studium primum contemnentes, deinceps eodem ducebantur. Quod quum aegre ferret Rex, Hermanno Ecclesiae Suecicae Superintendente dicto, Regiminis formam Episcopalem, quae hucusque viguerat, cum alia, presbyteriali fortasse, permutare studuit. De hoc autem instituto etsi, ut monuimus, non satis constet, certo tamen certius sumitur Regimen Ecclesiasticum non satis definitum fuisse, quo tempore Gustavus regnavit, adeo ut Rex, summam auctoritatem in Ecclesia tenens, pro libitu res Ecclesiasticas administraret, curam vero de doctrina moribusque Ecclesiasticis potissimum committens.

Hi autem Lutheri institutione usi, vel saltem magni eundem facientes, ac praeterea Regi prudentissimo parentes, eam in Suecia propagarunt doctrinam, quae, conservatis plurimis, e doctrina medii aevi desumtis, e Lutheri doctrina multa hauserat. Quod nequaquam mirandum est. Nam quum Sueci ad recipiendam doctrinam puriorem haud satis essent praeparati ideoque Gustavus prudentissima ratione illam propagari vellet, plurimi ritus externa saltem specie conservabantur. Quum vero primi Reformationis in Suecia vindices a Luthero instituti essent et Germaniae Reformatorem maximi facerent, quumque continuum praeterea esset Suecis cum Germanis et quidem singulatim Gustavo cum Luthero commercium, hinc factum est, quod in Suecia etiam Lutheri audirentur monita scriptaque legerentur; verbo, ipsius doc-

trina in Suecia invaluerit; ita tamen, ut gentis Suecicae indoles non eo tempore admitteret, quae in Germania facile recepta fuerant.

Et haec quidem de Gustavo res sacras in Suecia emendante dicta sunto. Plura emendavit vir celeberrimus. Praeparavit alia eaque majora, et si ipsius successores de via, qua ipse processerat, non declinassent, dubium non est, quin laetiora post Reformationem Ecclesiae Suecicae fuissent fata, quam ea, quae recentiorum temporum historia memoriae prodidit.

THESES.

I.

Institutio, qua Gustavus usus est, apprime accommodata erat ad informandum futurum rerum sacrarum in Suecia instauratorem.

II.

Gustavi in eo laudanda est prudentia, quod voluerit, ut purioris doctrinae doctores Christianos, secus sentientes, primum rite instituerent, tum demum ritus antiquos abolerent. Et hac quidem parte nostri etiam aevi hominibus exemplo esse potest, ut hi, si quid in Ecclesia emendandum esse ipsis persuasum sit, primum Christianos, apud quos antistitum munere funguntur, meliora doceant, deinceps vero, quod emendandum videbatur, emendent.

III.

Gustavus non tantum rerum sacrarum in Suecia emendationem adjuvasse dicendus, sed jure *Reformatoris* nomine celebrandus est.

IV.

Etsi doctrina Christiana, saec. IX - XI in Suecia annuntiata, longissime abesset a pristina sua simplicitate,

vel sic tamen vi in Suecos salutari non prorsus destituta fuit.

V.

Quae scripsit Theiner (*Die Einführung der erzwungenen Ehelosigk. bei den christlichen Geistlichen* T. II, p. 506): *Die Abhängigkeit von Rom wurde in diesen Ländern* (Suecia, Dania et Norvegia) *ohne Schwierigkeit gegründet*, Sueciae ratione habita, vera non sunt.

VI.

Non assentimur Johanni M. in Historia S. (Cf. Olai M., *Hist. de gentium sept. variis conditionibus* etc. L. II, c. 19) scribenti: *Nullus Sveonum Archi-Praesulum hactenus inventus est, qui se Lundensi Pontifici in excipiendis Archi-episcopalibus insignibus submittere sustinuerit. Et titularis illa dignitas, si aliquando concessa fuit, in Eskillo exstincta evanuit.*

VII.

Falluntur, qui Ecclesiae Reformatae in Belgio nostro conditionem ante saec. XIX prae illa, quae postea obtinuit impense laudent. Sive enim Regimen attendamus, sive doctrinam moresque Ecclesiasticorum et Laicorum, haec nostra tempora multis nominibus, illis praeferenda videntur. Quod tamen non ita explicatum velim, ac si Ecclesiae Reformationem in patria nostra absolutam esse censerem.

VIII.

Quodsi decreta Synodi Dordracenae, A°. 1618-1619 habitae, ita intelligenda fuerint, ut ab iis recedere nefas censeretur, Reformationis principium ex Ecclesia Reformata iisdem fuisse sublatum, negari nequit.

IX.

In adhibendis variis V. F. enuntiatis illam N. F. scriptores saepe secuti sunt rationem, qua ad rem suam illustrandam, vel probandam. ejusmodi converterent V. F. dicta, quae proprie res plane alias spectabant.

X.

Quocirca rem suam non satis propugnasse censendi sunt illi, qui locos nonnullos, in V. F. libris obvios, ideo ad Messiam referant, quod in N. F. ita laudentur.

XI.

Recte Provinciae Zeelandicae Ordines A°. 1675 praeceperunt: *Dat men van den letterliken sin van Gods H. Woort buyten nood niet sal afgaen, noch daer over eenige allegorische uytleggingе brengen en daer uyt eenige prophetische ofte andere verborgentheden soeken, ten sy blycke dat het selve in d' H. Schrift gegront is.*

XII.

Rem male intellexerunt Coetus cujusdam Belgici antistites, qui saec. XVII vituperarent Coccejum, docentem, ut illi ejus verba referunt: *dat alle uitlegginge der Schrift, die strijdig is tegen het natuerlicht, is eene valsche uitleggingе* et hanc quidem ob causam, quod Rom. VIII: 7; 1 Cor. I: 18, 21, 23; II: 14 Paulus alia docuisse censerent.

XIII.

Recte tamen iidem rejiciendam putarunt Cocceji de loco Dan. VII: 13 sententiam, qua *filium hominis*, ut vertit, Christi Ecclesiam, *Permanentem* autem *diebus* ipsum Christum significare censet (Cf. Obs. ad l. in *Opp.* Vol. III).

XIV.

Quum de fatis, post mortem futuris, verissimum sit Johanneum illud: οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα, curandum est ne, in exponenda doctrina gravissima de futura vita, quid effingamus, ab humanae naturae indole abhorrens.

XV.

In explicanda doctrina de Patre, Filio et Sp. S. teneamus semper necesse est, Deum πνεῦμα esse, quippe quod egregie valet ad dijudicandas et emendandas diversas opiniones, quae de hoc dogmate feruntur.

XVI.

Absurda eorum hominum sententia dicenda, qui perinde habent, quid credant hòmines, dummodo bene agant.

XVII.

Minus recte Zeelandiae Ordines A°. 1675 praeceperunt: *Dat men de plaetsen uyt de H. Schrifture, die in de Nederlantsche Confessie, als mede in de formulieren van den H. Doop en Avontmael geciteert werden, tot bevestiginge van eenige waerheyt, niet sal vermogen krachteloos te maken, 't zy in 't prediken, catechiseren of schryven.*

XVIII.

Recte Laurentius Petri (Commonefact. utiles, Clero Dioeceseos Ups. propositae Art. IX): *Decet vero concionatorem sacrum ea pronunciatio, quae nec per omnia eadem sit, videlicet quasi eadem continue oberrans chorda etiam in rebus diversissimis, nec rursus ad histrionicam vanitatem immutata, sed quae modeste rebus, de quibus dicitur, se accommodet.*

XIX.

Nec tamen hodiernis Evangelii doctoribus praescribere ausim, quod idem Clero suo praescripsit (l. c. Art. XIII): *potior est ratio, si quis rem ipsam bene praemeditatam, animoque infixam habeat, ordinemque, quo uti velit, praevisum, de verbis non admodum sollicitus.*

CORRIGENDA.

Pag.	17,	reg. 9,	*eum accusare*,	leg.	*is accusari.*
»	23,	» 13,	*devincerit*	»	*devinciret.*
»	26,	» 10,	*quo magis ut*	»	*quo magis.*
»	27,	» 14,	*quam Danis*,	»	*quam Danis.*
»	29,	» 13,	*imbutis*	»	*imbutus.*
»	58,	in not. 2,	*ehoad*	»	*ehvad.*
»	»	» » 3,	*majestate*	»	*majestati.*
»	59,	reg. 20,	*Sunneväder*	»	*Sunnanväder.*
»	64,	» 26,	*erant*	»	*erat.*
»	68,	» 1,	(1927)	»	(1527)
»	78,	» 23,	*addidit:*	»	*addidit*,
»	79,	in not. 2,	*skärkåsdan*	»	*skärskådan.*
»	88,	» » 1,	*beägrandes*	»	*begärandes.*
»	94,	» » 1,	*ejusdem*	»	*eundem.*

Caeterum graviora tantum vitia indicavi, reliqua, utpote leviora, ut *Halmia* pro *Holmia*, *consilia* pro *concilia*, al. benevolo lectori emendanda relinquens.



